Vierter Jahresbericht

über das

Luisenstädtische Gymnasium

in

BERLIN.

Inhalt:

Berlin, 1869.

Druck von Franz Krüger, Linden-Strasse 40.

DE

SIMONIDIS CEI EPIGRAMMATIS

QUAESTIONES

SCRIPSIT

Aem. Aug. Junghahn.

Cum in persequendis litteris quondam animum intendissem ad ea poematiorum genera, quae in poesis quasi corollariis numerari solent, cumque mihi persuasissem perdifficile esse cujusque generis si definire velles invenire notam et formulam, tamen aliqua delectatione me is locus tenebat, in quem multum ingenii acuminis viderem multumque judicii subtilitatis ab hominibus doctis esse collatum. Atque maxime in hac copia excitabantur studia nostra eis quae de epigrammatis notione et divisione sunt disputata, ex quo tempore Lessingius noster et Herderus commentationibus suis praeclaris hac in parte litterarum quaerendi viam demonstrarunt. Cui quaestioni cum nondum sit satisfactum ita, ut certam normam habeamus ad omnia *graeca* epigrammata recte aestimanda, instituimus libero usi judicio ipsi experiri, num quid ad perpurgandum eum locum afferre possemus. Certum autem disputationis fundamentum nos habituros diffidebamus, nisi a primordiis epigrammate graeco repetito demonstravissemus, quibus vicissitudinibus esset usum quibusque se extulisset gradibus. Primordia dico non illa epigrammatum quasi incunabula, meras inscriptiones artis expertes usuique tantum inservientes, sed ea quae cum numeros tum ceterum jam amplexi orationis ornatum et artificium etiam per se ac propter venustatem admirationi esse coeperunt. Sed cum ne eis quidem, quae Archilochi, Anacreontis, Sapphus nomina prae se ferunt epigrammatis, si quidem inter ea sunt genuina, quidquam peculiaris laudis ab hominibus doctis concedatur (O. Müller, Littr. graec. I, 222), et omnium primum doceant Simonidem ratione et arte poematia illa ita excoluisse, ut ad perfectionem quandam ascenderent, Simonidis epigrammata coepi majore cura tractare. Quo in studio sensim mihi e conspectu abstrahebantur eae quae initio erant propositae quaestiones, postquam intellexi nondum ita expeditam esse eam reliquiarum partem, ut aliena opera confisus ad alienam auctoritatem possis et provocare et ubi dubitaveris ad eam tuum judicium dirigere. Nam quamquam in multis quae olim Simonidis nomine ornata erant epigrammatis error est convictus, multorum tamen adhuc sub judice lis est, ac vel inter ea, de quibus nemo dubitavit, subditicia esse nobis persuasimus. Nolumus sane videri magnum quiddam

invenisse penitusque absconditum, quoniam facile est talia suspicari, ubi multo major pars eorum epigrammatum in sola Anthologia nobis sit tradita, exiguam autem Anthologiae esse fidem in adscribendis poematiis auctoribus suis satis constat. Fortasse igitur quispiam dixerit — ac ne ipsi quidem ab hac sententia alieni eramus — dummodo majorem eandemque meliorem partem epigrammatum, quibus praefixum est Simonidis nomen ut auctoris, esse Simonidis constet, non deesse materiem ad vim ac naturam aestimandam, qualis in universo hoc poematiorum Simonideorum genere viguerit, neque esse necessarium singula perpendere, num forte sint spuria, cum praesertim sit difficilis ista de dubiis auctoribus quaestio in hoc carminum genere brevissimorum. Tamen nolo ea opera supersedere, dum ad aliquod epigramma, quod tibi spurium videatur, alius provocat ut ad vacuum dubitatione, quo dubias lectiones in ejusdem Simonidis versibus constituat, vel dum talia epigrammata adhibentur ad temporum et rationes firmandas et errores tollendos vel ad fidem historiae faciendam rebus incertis. Cavendum autem erit ne in quaestionibus meis judicii studia latius evagentur neve abeant in libidinem atque nugas. Itaque postquam alia frustra tentavi eis me continebo argumentis, quae ipsis epigrammatis cujusque *rebus* nitantur et graecae orationis usu. At minime placet in hac quaestionum parte e dicendi genere vel stilo epigrammatum, i. e. ex auctoris elegantia promere criticorum argumentorum momenta. Nam quamvis non raro in epigrammatis dubiorum auctorum percensendis huic editorum judicio occurras „est sane hoc poematium Simonideo indignum ingenio" ejusque similibus, tamen vel ex mira judiciorum dissensione cognoscas, vix quidquam profici, ubi ex opinione concepta de Simonideorum epigrammatum vi habituque homines docti metiantur singula. Egregium habes exemplum quo absterrearis in ep: 106 (numeri, nisi aliud additur, sunt editionis Bergkianae tertiae Poett. lyrr. gr. prs. III), quem Schneider judicat inepti rhetoris foetum, idem Heckero videtur probante Bergkio carmen vel maxime Simonide dignum (Cf. Bergk adnot. ad 105, vel Anthol. ed. novissimam Paris. VII. 443, adnot.). Plura dicam de eo judicii instrumento, cum certioribus illis quas supra dixi notis adhibitis et spuriorum epigrammatum mole aliquantum discussa mihi contigerit, ut ad ipsa Simonidea propius accedam.

Ac primam quidem propono disputationem de hisce epigrammatis:

No. 101 (Οὗτος 'Αδειμάντου κείνου τάφος), No. 129 (Οὗτος ὁ τοῦ Κείοιο), No. 134 (Ταῦτ' ἀπὸ δυσμενέων), No. 135 (Παντοδαπῶν ἀνδρῶν), No. 184 (Οὗτος 'Ανακρείοντα), e quibus epigrammatis 101 exstat in Anthol. VII, 347, (Pseudo) Plutarch. De Herod. malign. c. 39, Dion. Chrys. XXXVII, 526; 129 in Anthol. VII, 77, schol. Aristid. III, 533, Tzetz. Chil. I, 632; 135 apud unum Plutarchum bis (sive apud Plutarchum, Vita Them. c. 9 et apud Pseudo-Plutarch. l. c. 34); 134 et 184 in Anthol. sola VI, 215 et VII, 25; deinde a quo quodque auctore traditum est, ab hoc Si-

monidi adscribitur, excepto Plutarcho et Pseudo-Plutarcho, apud quos tria illa (101, 134, 135) non addito auctoris nomine exstant; unum 135, quod omnino veterum scriptorum nullum nactum est, qui illud suo auctori vindicaret, Simonidi assignat Schneidewin; denique 184 cum nostri saeculi editores, maxime novissimi, Simonidi abjudicent atque unus Schneidewin tuitus sit ut Simonideum (Simonid. Cei carm. reliq. No. 171), de reliquorum epigrammatum auctore nemo unquam videtur dubitavisse. Nos cuncta Simonidi abjudicamus ducti pronomine οὗτος, quam suspicionis notam gravissimam in omnibus eandem nos cernere confidimus. Cujus pronominis consuetudinem apud antiquissimos poetas usque ad Simonidis aetatem et paullo infra non eam fuisse, qualis est in istis epigrammatis, jam nobis demonstrandum erit. Minime quidem diffitebimur nos quominus invento nostro fidem ipsi haberemus absterritos esse eo quod et intellegebamus, neminem eorum qui optime in epigrammatis graecis versati sunt ejusmodi dubitationem de pron. οὗτος movisse, et diffidebamus novi quidquam inveniri posse in tritissima orationis graecae parte. Inspicienti tamen rem accuratius apparebit nihil fere novi additum a nobis esse ad ea, quae de *significationum discrimine* pronominum οὗτος et ὅδε explorata sunt doctorum hominum observationibus, et quae cumulate tibi videbuntur ab eis exposita esse, si ita singulos adieris, ut alter alterum expleat; non enim hoc dixerim apud quemquam eorum toti quaestioni esse satisfactum. Unum vero, quod vel maxime rem meam causamque continet, nemo eorum videtur diserte docere, hoc dico, utrum discrimen principale eorum pronominum, a quo poetas longe recessisse constat, hi ad libidinem ubivis neglexerint, an etiam ea licentia angustioribus terminis fuerit circumscripta, ita ut quibusdam certe locis alterum pronomen utique excluderetur. Nos hanc alteram sententiam amplectimur, illa, nisi fallor, est vulgaris (quantum quidem colligi potest ex eis, quae in transitu ab hominibus doctis jaciuntur; quatenus de Sophoclis versibus agitur, eam sententiam tuetur Ellendt in Lex. Soph. sub v. ὅδε p. 273 d., quamquam p. 452 docet, illum qui praeter legitimum pron. οὗτος usum apud Sophoclem exstet, quasi precario esse admissum).

Atque cum de universo eorum pronominum discrimine hoc dicant, voce ὅδε proprie demonstrari rem, i. e. significari eam, quae sub aliquem sensum cadat, voce οὗτος eam, quae mente potius percipiatur et cogitatione (Anschauung — Vorstellung. Krüger, Grammat. II, §. 51, 7, 2) vel quae commemoretur, non demonstretur; alteram consuetudinem video apud poetas valere, hanc dico, ut, ubicumque pron. οὗτος ex generali illa significatione usurpari debebat, pron. ὅδε pro eo dici possit; cui rei hoc fortasse subest causae, quod liceat poetis fingere se vel remotissimas res et quae omnino in oculos non incurrant quasi praesentes corporeasque suis oculis adspicere. At quod illi consuetudini ex altera parte respondeat, ut, ubicumque libuerit, pro v. ὅδε usurpari possit v. οὗτος, id non valet. Obser-

vavi enim, apud poetas Simonidi aequales eosque qui ante eum et paullo infra fuerunt nunquam pron. οὗτος adhiberi

I. de ea persona, cujus sunt verba, i. e. nemo se ipsum demonstrat pronomine οὗτος;

II. nunquam idem pronomen usurpatur de eo, quod cum persona, cujus propria verba afferuntur, arcte est conjunctum, i. e. ut ad singula descendam, nunquam is, qui verba facit, pronomine οὗτος significat

a) vel tempus vel locum, in quo ipse versatur, ut χρόνος, ἐνιαυτός, ἡμέρα, νύξ, πόλεμος (ubi quidem hac voce tempus significatur) — γῆ, χθών, χῶρος, πόλις, δόμος aliaque permulta,

b) nunquam vel suum animum vel corpus eorumque partes omnesque res, quibus ea afficiuntur, morbos dico vulneraque, quibus ipse laborat, vel similia,

c) nunquam arma vestimentaque quae ipse secum habet;

d) nunquam denique (id quod eodem pertinere censeo) poeta sui carminis, quod legentibus est propositum, mentionem facit pronomine οὗτος. —

Quam constans autem sit et lege adstricta consuetudo ea pronominis ὅδε, id ex hoc cognoscimus, quod, ubicunque per metrum licebat utrovis pronomine uti, unum tamen reperimus ὅδε. Veluti apud Sophocl. Oed. Col. v. 450 (ed. Schneidew.): ἀλλ' οὔ τι μὴ λάχωσι τοῦδε συμμάχου, ubi metrum patitur τούτου; at de se ipso loquitur Oedipus. Optimum exemplum habes ibid. v. 1546: μοῖρ' ἀνδρὶ τῷδε τῇδε κρυφθῆναι χθονί, ubi ne dissonam quidem vocum propinquarum similitudinem auctor vitat praeferendo id, quod per metrum admittitur, μοῖρ' ἀνδρὶ τούτῳ τῇδε. Cf. ex eadem tragoedia v. 649, 1032; Oed. Rex v. 41, 951; Electra 1133; Aesch. Pers. 619; adde Theogn. v. 52 (ed. Bergk, Poett. Lyrr. grr.), apud quem multis locis ἥδε πόλις, nunquam αὕτη exstat. Ex Homericis carminibus hosce habeo quos afferam locos: Od. λ, 373 νὺξ δ' ἥδε μάλα μακρή (compluries). ω, 331 οὐλὴν μὲν πρῶτον τήνδε φράσαι ὀφθαλμοῖιν (Ulixes dicit de ea quam ipse gerebat cicatrice). Il. O, 426, ubi extrema versus verba sunt: ἐν στείνεϊ τῷδε; adde Od. υ. 116.

Multi deinde sunt loci, ubi transpositis verbis vel alia mutatione levissima pron. οὗτος adhiberi per metrum potuerat, ut Aesch. Prom. v. 304, Agam. v. 1186, 1292; Soph. Oed. Rex 1018, 1113.

Haec exempla sunt de medio sumpta; addi poterunt permulta. Ad confirmandam eam consuetudinem pronominis ὅδε accedit, quod apud poetas neque pronominis οὗτος usus rarus est, neque eae quae exclusi pron. οὗτος dictae sunt condiciones; nam ut omittam minus usitatas voces, quam frequens, maxime apud tragicos poetas, est haec: (ὅδε) ἀνήρ (nomine ejus, qui verba facit), deinde praeter eas quas supra enumeravi (pg. 8 sub lit. a) hae: χείρ, ὄμμα, κάρα. Longum est omnia computare; satis habeo demonstrare, ex tanto numero locorum, quem cen-

tenis metiamur, *unum* in eam consuetudinem videri non quadrare apud Aeschyl. Choeph. 231. Sorori aperit Orestes quis sit, dubitat illa, dubitantem frater confirmat his verbis:

v. 226. Κουρὰν δ'ἰδοῦσα τοῦδε κηδείου τριχός
σαυτῆς ἀδελφοῦ ξυμμέτρου τῷ σῷ κάρᾳ
— — — — — — — — — — — —
231. ἰδοὺ δ'ὕφασμα τοῦτο σῆς ἔργον χερός.

Redarguimur, si novissima verba Orestes dicit de aliquo vestimento, quo ipse est indutus. Licebit quidem vel ita ab hoc uno loco observationem, quae in omnibus reliquis eisque pluribus centenis nitatur, conjectura defendere, ac si conicimus τοῦτο errore natum esse legendumque ὕφασμα τόδε, τὸ σῆς ἔργον χερός, cui lectioni non obstat metrum, omnia recte se habent. Possumus etiam opinari (cujus rei non desunt exempla in Aesch. tragoediis) ante v. 231 unum pluresve versus excidisse, quibus hoc diceretur: „vestimentum mihi nuper clam misisti per nuntium, quod is dixit a te ipsa textum." Quae sententia excipiatur versu 231 sic: „Illud jam vestimentum ecce etc." Per se enim patet, pron. οὗτος ubivis dici posse de rebus ante commemoratis, quamvis condicio earum sit illa, quam in pg. 8 sub litteris a, b, c, d exposuimus. At rebus ipsis, nisi fallor, prohibemur, ne Orestem de vestimento loqui putemus, quo ipse tum sit amictus. Nam quotusquisque non extimescet, ne ille vestimento agnoscatur ab aliquo vel eorum, quos circumvenire vult. Ita Arete illa, ut est apud Homerum, vestem agnovit, qua indutus Ulixes supplex domum intraverat. Aliam igitur infra commendabo interpretationem.

Praeter hunc unum reliqui loci, qui prima specie cum observatione mea videntur pugnare, facili disputatione expedientur.

Ad I. Pindar. Ol. IV, v. 24 Erginus, unus ex Argonautis, qui modo victoriam reportaverat cursu armatorum, dicit Hypsipylae, coronam accepturus: Οὗτος ἐγὼ ταχυτᾶτι. At apparet οὗτος ἐγὼ h. l. non esse „ecce ego", sed „talis ego sum celeritate" (Boeckhii est haec explicatio), scil. qualem me vidistis currentem; refertur igitur pronomen ad rem mente cogitandam. Is locus non erat praetereundus, quippe qui afferatur in Stephani Thesauro (ed. Paris. sub voce οὗτος) ut exemplum quo discamus, „οὗτος cum verbo primae personae attico more accipi pro ἐγώ". Qui error videtur ab Apollonio manavisse (De pronomine, pg. 72, B, C, ed. Bekker.)

Ad II, a. Apud eundem Pindarum Ol. I, 115 scripta habemus haec: εἴη σέ τε τοῦτον ὑψοῦ χρόνον πατεῖν, ἐμὲ δὲ τοσσάδε νικαφόροις ὁμιλεῖν, quae sic convertit Boeckhius: „Utinam et tu per *hanc* vitam sublime incedas etc." Nescio an videar ad argutias descendere, si meam de pronn. οὗτος et ὅδε observationem ad Boeckhii interpretationem accommodem appellando affinitatem eam, quam Funk (Ueber

den Gebrauch der Pronomina οὗτος und ὅδε bei Homer, pg. 11 sqq.) docet intercedere inter pronn. οὗτος et σός in Homericis carminibus, ut nostro jam loco οὗτος χρόνος non sit *hoc*, *quo nunc sumus*, *tempus*, sed *illud*, *quod tibi est destinatum*, quae explicatio propterea h. l. minus probetur, quod, si est οὗτος χρόνος haec mortalium vita, non minus in ea versatur poeta ipse, cujus sunt verba, quam is, quem appellat secunda persona. Sed videamus potius, num post nostram observationem, quae usu nitatur permultis locis comprobato, aliter atque antea locus sit interpretandus. Dixerat poeta a v. 109 haec fere: sperare se, nisi Deus Hieronem cito defecisset, novam se ejus celebraturum victoriam. Ea quae sequuntur verba (ἐμοὶ μὲν ὦν . . . . . . πόρσιον) digressionem continent, ad quam ansa datur commemoratione celebrandi; ad illud unde digressus erat poeta jam redit verbis εἴη σέ τε τοῦτον ὑψοῦ χρόνον πατεῖν etc., quae nos jam sic interpretamur: per illud tempus, i. e. dum huc revertero ad novam tuam victoriam celebrandam, vale sublime incedens, ut est regum. Ex hac igitur interpretatione pron. οὗτος anaphorice vel relative est dictum (utravis voce liceat infra quoque uti de pronomine, quo significetur res jam commemorata; Apollonius: ἀναφορικῶς); quam si quis dicat nimis sapere solutam orationem, is revocandus erit ad Pind. Pyth. XII, 30, ubi οὗτος χρόνος sine dubio est „illud tempus".

Alterum locum, qui ad II, a) pertinens separatim sit inspiciendus, inveni Aesch. Eum. v. 684, ubi Pallas ad cives Atticos conversa haec dicit:

683. Ἔσται δὲ καὶ τὸ λοιπὸν Αἰγέως στρατῷ
684. ἀεὶ δικαστῶν τοῦτο βουλευτήριον.

Si credimus quibusdam interpretibus (cf. Pape Lexicon v. βουλευτήριον, quam vocem hoc loco docet valere „Rathhaus"), h. l. prima persona aedificium, quo ipsa utitur, significat addito pronomine οὗτος, cum simile nusquam reperias apud antiquiores poetas. Potestas mihi jam fit, ex observatione mea dijudicandi sententias controversas. Eis igitur astipulor interpretum, qui censent βουλευτήριον isto loco non aedificium esse, sed judicium vel judicum collegium.

Ad II, c. Apud Sophocl. Oed. Col. 1356—1357 haec sunt verba Oedipi ad Polynicem conversi:

τὸν αὐτὸς αὑτοῦ πατέρα τόνδ' ἀπήλασας
κἄθηκας ἄπολιν καὶ στολὰς ταύτας φορεῖν,

in quibus vv. ταύτας στολάς sane significant vestem, qua Oedipus tum ipse erat indutus; at insequenti versu haec addit: ἃς νῦν δακρύεις εἰσορῶν, quibus cum respiciatur ad v. 1258, ubi Polynices dixerat, se deplorare patrem senem detrita sordidaque veste tectum, apparet v. ταύτας esse h. l. anophorice dictam.

Quam religiose illud duorum pronn. discrimen vel a poetis sit observatum, cum ex multis aliis, tum ex his duobus locis intellegitur Soph. Philoct. 1056 et

1232, quorum prior leviter inspicienti videtur repugnare sententiae nostrae. Nam Ulixes cum v. 975 Philoctetae arcum expoposcerit his verbis

οὐκ εἶ, μεθεὶς τὰ τόξα ταῦτ' ἐμοί, πάλιν etc.,

videtur Neoptolemo eum e manibus extorsisse et ipse tenens dixisse haec:

1055. . . . . . οὐδὲ σοῦ προσχρῄζομεν
1056. τἀγ' ὅπλ' ἔχοντες ταῦτ' . . . . .,

qua re mea observatio refelleretur. At quod legens eum locum persuasum habebam, ipso pronomine ταῦτα nixus, non Ulixem, sed Neoptolemum arcum tenere, id luculenter probatur si minus versu 981, at v. 1232. Ibi autem Neoptolemus de arcu, quem ipse secum habet, haec dicit:

παρ' οὗπερ ἔλαβον τάδε τὰ τόξ' αὖθις πάλιν etc., non ταῦτα τόξ', quamquam altero jam antecedente tribracho eo minus versus bene sonat.

Homer. Od. ϑ, 414—415 Ulixes de ferro, quo accepto ab Euryalo se accinxerat, dicit:

μηδέ τί τοι ξίφεός γε ποθὴ μετόπισθε γένοιτο τούτου . . . . . .; at anaphorice dictum est pronomen; nam sequuntur vv. ὃ δή μοι δῶκας. Hujus loci simillimos invenias in Homericis plures; alia autem est pronominis οὗτος ratio in his locis:

Od. ϑ, 477. κῆρυξ, τῆ δή, τοῦτο πόρε κρέας, ὄφρα φάγῃσι, Δημοδόκῳ. Od. ο, 125. δῶρόν τοι καὶ ἐγώ, τέκνον φίλε, τοῦτο δίδωμι. Od. ρ, 345. δὸς τῷ ξείνῳ ταῦτα φέρων. Il. Ψ, 618. τῆ νῦν καὶ σοὶ τοῦτο, γέρον, κειμήλιον ἔστω.

In his enim quattuor locis, quibus quintum ex antiquioribus quidem poetis sumptum vix apponas, ad rem, quam quis ipse manibus tenet pron. οὗτος est adhibitum neque id anaphorice dictum. Sed tantum abest, ut eis locis sententia mea refellatur, ut etiam confirmetur. Nam nisi me plane occaecat studium pervincendi, pron. οὗτος ibi sic satis defensum erit: in istis quattuor locis *omnibus* pronomine demonstratur res, quam quis alteri daturus *porrigit*; eam igitur, dum fiunt verba, aut jam tradidit in alienas manus, aut certe pronomine οὗτος significat vel quasi praecipit, ex sua ipsius, qui det, eam jam in alienam transiisse possessionem. Ita in illo Aeschyli loco (Choeph. 231, de quo est dictum supra pg. 9), pronomen οὗτος defendatur, si conicias Orestem dicere non de aliquo quo sit indutus vestimento, sed quod occultum secum ferat, quodque jam sorori *tradat*, quo accuratius possit inspicere. Illud autem fortasse poeta significat, quo Orestes usus sit puerulus domo profugiens.

Ad II, d. Diximus supra, poetam, ubi suum quodque, quod legentibus vel audientibus sit propositum, carmen attingat, pronomine ὅδε uti. Ita Pindarus in his locis: Ol. IV, 9 τόνδε κῶμον, Ol. XIV, 16 et Pyth. V, 20 idem, Pyth. XII, 5 στεφάνωμα τόδ', Nem. III, 76 τόδε μέλι, Nem. IV, 45 τόδε μέλος, Pyth. II, 3 et 67 idem; quibus vocibus etsi non omnibus carmen proprie dicitur, at verborum immutatione. Unus locus cum ea consuetudine concinere non videtur Ol. IX, 108,

ubi haec scripta habemus: τοῦτο δέ προσφέρων ἄθλον ὄρθιον ὤρυσαι θαρσέων, quae vv. sic convertit Boeckhius: „at hoc apportans praemium alte vociferare audacter," et in explicatione haec addit: „ἄθλον est hymnus, praemium victoris, quod illi poeta affert, qui verbo ὤρυσαι suo more sese exhortatur." — Age vero, cur jam Pindarus ab ea quam vidimus in ejusmodi locis eum secutum esse consuetudine hoc uno loco recessit? Nempe quod suam ipsius personam ille quasi abdit secunda (ὤρυσαι), ut jam τοῦτο ἄθλον sit „*tuum* hymnum." (Cf. Funk l. l.)

Quod si jam constat, non pronomine οὗτος, sed ὅδε superiore aetate demonstrari rem, cui cum eo, cujus afferuntur verba, arctissima est necessitudo, eamque consuetudinem si tam accurate observatam esse videmus, ut e permultis locis vix unus sit exemptus (Aesch. Choeph. 231, ac fortasse ne is quidem), fieri non potest, ut in ejusdem aetatis epigrammatis pronomine οὗτος demonstretur vel tumulus, vel is mortuus, cujus est sepulcrum, vel res dedicata, quoniam cum his rebus inscriptio non minus arcte est conjunta. Quod cum per se nescio an sufficiat suspicando, ea epigrammata, quae antiquioribus poetis tribuantur neglecto illo pronominum discrimine, subditicia esse, tum accedit, quod talia epigrammata praeter ea, quae supra suspectavi, certis quidem antiquis auctoribus adscripta non inveniuntur nisi unum, quod Anacreontis nomen prae se fert, idque vel propter aliam causam suspectum. *Neque reperies pron.* οὗτος *in ullo eorum epigrammatum, quae apud Herodotum et Thucydidem exstant* horum certe aetate superiora. Sunt autem apud eos, praeter sex illa, quae Simonidi tribuuntur (quattuor apud Herodotum, duo apud Thucydidem) his locis ἀδέσποτα: Thuc. VI, 54, Herod. IV, 88 (omisi ea, ad quae neutrum pronomen adhibitum est). Denique in quocunque antiquiorum auctorum epigrammate ad metrum non interest, utrum pron. οὗτος an ὅδε adhibeatur, adhibitum videmus hoc alterum, ut in Simonideis No. 92, v. 1; 159, v. 1; 148, v. 5.

Non putabam hic, ubi de aetate epigrammatum quaeratur, magni habendam Pausaniae auctoritatem; id quo jure putaverim, optime perspicere licet ex hoc exemplo. Pausan. IX, 11 dicit in Amphitryonis domo a Trophonio et Agamede aedificata haec fuisse inscripta:

Ἀμφιτρύων ὅτ' ἔμελλ' ἀγαγέσθαι δεῦρο γυναῖκα
Ἀλκμήνην, θάλαμον γ'εἰλίξατο τοῦτον ἑαυτῷ,
Ἀγχάσιος δ'ἐποίησε Τροφώνιος ἠδ' Ἀγαμήδης,

quam inscriptionem legenti persuasum mihi erat propter pron. οὗτος non tribuendam esse antiquissimis temporibus; gaudeo quod in hac re nactus sum F. A. Wolfii testimonium, qui idem epigramma alia ductus causa censet recentiorum temporum esse (Proleg. ad Homerum pg. 56, adnot. 20). — Neque reliquis, qui apud Pausaniam exstant epigrammatis refellimur. Nam aut addita ab ipso habemus quaedam, e quibus cognoscamus infra Simonidis aetatem ea esse condita, aut

ipse incertus est de tempore. Veluti in lib. V, 25, 5 descriptis quibusdam statuis additur: γέγραπται δὲ καὶ ἐπίγραμμα ἐπὶ τῷ βάθρῳ· τῷ Διΐ τ' Ἀχαιοὶ τἀγάλματα ταῦτ' ἀνέθηκαν etc. (Boeckh. Corp. inscr. I, No. 29 τἀχαιοί, ut sit τοὶ Ἀχαιοί); idem pronomen habes in loco simillimo V, 22, 3, ubi poeta statuas vel suis verbis voce ταῦτα se ipsas significantes facit. At ipse Pausanias addit, illas statuas ob Onata, has a Lycio factas esse, quorum uterque inferior erat, quam Simonidis aetas. Alterum illud, quod posui, recidit in epigrammata inscripta in Cypseli arca illa doctorum hominum sermonibus celebratissima, in quibus epigrammatis (lib. V, 18 et 19) quater pron. οὗτος adhibetur ad demonstrandam imaginem, cui inscriptio est addita. Sed quod Eumelo ea epigrammata Pausanias tribuit, ipse fatetur, se conjectura duci. Cui licebit nostram opponere rationem, ac ne id quidem nos conturbabit, quod supra dixit (V, 17, 3) antiquis litteris esse ea epigrammata exarata et complura βουστροφηδόν; discimus enim a Boeckhio (Corp. inscr. I, No. 25), vel optimis Graecorum temporibus factum esse, ut monumenta, „quo eis priscae gravitatis fucus et quaedam quasi robigo induceretur," antiquis litterarum formis foedarent. Exempla affert ex ipso Pausania, veluti e lib. I, 2, 4, ubi hic dicit vel in Praxitelis operibus se inscriptiones invenisse priscis litterarum formis insculptas (i. e. eis, quae ante Ol. 94, 2 erant usitatae). — Ceterum in toto hoc genere inscriptionum templorum, quas veteres auctores tradunt ex antiquissima aetate, F. A. Wolfio (l. l.) videtur pia fraus grassata esse. Hactenus de Pausania.

Illud autem quod supra attigi epigramma, Anacreontis, si Anthologiae (VI, 135) credimus (apud Bergkium 102, pg. 1034), sic est traditum:

Οὗτος Φειδόλα ἵππος ἀπ' εὐρυχόροιο Κορίνθου
ἄγκειται Κρονίδᾳ μνᾶμα ποδῶν ἀρετᾶς.

At cum aliis auctoribus tum Anacreonti constat in Anthologia falso quaedam epigrammata tribui, velut No. 115 et 116 in laudem Myronis scripta, qui fuit multo post Anacreontis aetatem (Cf. Bernhardy, Littr. gr. II, 608, qui docet, vel minorem partem earum epp. certa niti auctoritate). Crediderim vel propterea meam de pron. οὗτος observationem hoc uno epigrammate non tolli. Accedit autem causa, cur in v. οὗτος corruptelam latere putem. Nam cum Pausanias (VI, 13, 9) quasdam res afferat memorabiles ad illam Phidolae victoriam spectantes (non addito tamen isto epigrammate), ex eo loco cognoscimus, victoriam reportatam esse ab equa, eique nomen fuisse Αὔρα, ejusque domino nomen Φειδώλας. Quae si sunt vera (cur vero Pausanias tantulas res addiderit, nisi habuit certe exploratas, aut cur quis ejusmodi res corruperit fingendo vel addendo, nullam invenias causam probabilem) illa igitur si vera sunt, mirum videtur, quod epigramma masc. gener. formam οὗτος exhibet. Nam etsi nescio, num hic omnino mos fuerit, in quae incidi ejus generis epigrammata, in eis certe video aut sexum aut nomen equi dedicati vel sepulti additum esse aut utrumque, propterea, opinor,

ut significaretur non de specie agi, sed de aliqua quasi persona vel (sit venia verbo) de individuo. Sunt autem ea exempla: ep. Pisandri (Bergk. P. L. II pg. 407), Ἀνδρὶ μὲν Ἱππαίμων ὄνομ' ἦν, ἵππῳ δὲ Πόδαργος; deinde ἀδέσποτον (Jacobs, Anthol. Paralip. II, 56),

α) Στήλη μαρμαρέη, τίνος εἶ τάφος; β) ὠκέος ἵππου.
α) τί δ' ὄνομ'; β) Εὐθύδικος etc.;

sed id epigramma admodum novicium videtur; tertium est Anytes ep. 15 (apud Jacobs Anthol.), ubi non recte traditam lectionem Μενεδαΐου, quod aptissimum nomen videtur equi militaris, mutandam putaverunt edd. in adject. μενεδαΐου; quartum est in Anthol. ἀδέσποτ. 122 (Jacobs). Alia atque in his videtur causa esse, cur femin. genus significetur, in Simonideorum 132 (Herod. V, 7; ἵππους ..... τάςδ' ἔθεσαν). Nomen additum est etiam apud Pausaniam (l. cit.), ubi victoriae, quam ejusdem Phidolae filii κέλητι ἵππῳ reportaverint, testem superesse dicit equi imaginem (ὁ ἵππος ἐν στήλῃ πεποιημένος) et hoc epigramma:

Ὠκυδρόμας Λύκος Ἴσθμι' ἅπαξ, δύο δ' ἐνθάδε νίκαις
Φειδώλα παίδων ἐστεφάνωσε δόμους.

Quod movimus dubium in epigr. Anacreont. 102, tolli potest facili conjectura; nam si pro v. Οὗτος legendum censemus Αὔρα, et nomen et sexus victricis equae cum Pausaniae narratione concinit. Si autem quaeris, quonam errore incredibili ex v. Αὔρα natum credamus Οὗτος, facillime putaverim fieri potuisse, ut quis (inferioris scil. aetatis homo) pro Αυρα transscriberet Αυτα, quem errorem si semel se insinuasse ponimus, alterum illum facile nasci potuisse perspicuum est. Denique quod idem Corinthius nominetur Φειδόλας et Φειδώλας, omitto de ea re fusius dicere. Nam cum utraque nominis forma nisi in his singulis epigrammatis non compareat, quidquam pro certo proponi posse diffido. Quod ne Siebelisium quidem (ad Pausan. V, 19, 3) crediderim consecutum; praeter hunc autem neminem inveni, qui eam rem attingeret.

Unus reliquus est locus, qui cum epigrammatis partes agere videatur tragoediae versibus intexti, silentio praetermitti nequit Aesch. Agam 575. Praeco postquam praedicavit eis, qui ex bello Trojano incolumes rediissent, exsultandum esse laetitia, sic pergit:

ὡς κομπάσαι τῷδ' εἰκὸς ἡλίου φάει
ὑπὲρ θαλάσσης καὶ χθονὸς ποτωμένοις·
Τροίαν ἑλόντες δήποτ' Ἀργείων στόλος
θεοῖς λάφυρα ταῦτα τοῖς καθ' Ἑλλάδα
δόμοις ἐπασσάλευσαν ἀρχαῖον γάνος.

Tres novissimi versus, inquam, videntur epigramma esse quod vocant ἀναθεματικόν. Quod si verum est, frustra epigramma superius (Anacr. 102) illaque Simonidea propter pron. οὗτος impugno. At non epigrammate integro praeco

Argivos facit profitentes laetitiam, sed illi tres versus similitudinem tantum quandam epigrammatis referunt. Non enim in *una* inscriptione potest dici *idem* donum (λάφυρα ταῦτα) *pluribus* locis (τοῖς καθ' Ἑλλάδα δόμοις) dedicatum esse. Dicit igitur haec potius praeco Argivos gloriari posse: „Cepit quondam Argivorum exercitus Trojam *eaque* spolia (i. e. spolia tunc ab eo lecta) in templis Graeciae dedicavit." Ergo anaphoricum h. l. est pron. οὗτος.

Praeter hos de quibus disputavi locos apud antiquiores poetas nullum inveni, qui cum usu pronominis ὅδε a nobis observato vel pugnet vel videatur pugnare. Atque Odyssiam Iliademque et ea quae Hesiodi dicuntur carmina, deinde lyricorum poetarum Simonidi aequalium et superiorum omnes qui reliqui sunt versus excussi, denique ex tragicis Aeschylum et Sophoclem. Cui rei quamquam fatendum me non eandem semper curam impendisse, ut aliqua ex parte molestae neque vacuae taedio, spero tamen non multos me praetervolasse locos neque eos qui sententiam meam ipsam plane evertant. Ut autem apud antiquiores poetas videmus consilio ac ratione pron. οὗτος certis locis exclusum esse, sic apud recentiores plurimis locis cognoscimus, illud pronominum discrimen principale obscuratum esse atque evanuisse. Quod jam ab Aristophane neglectum esse apparebit vel leviter inspicienti ejus versus, unde de medio sumo hos locos: Nubb. 141 Strepsiades se ipsum significat verbis ἐγὼ γὰρ οὑτοσί; 653 idem de corporis sui parte τουτουὶ τοῦ δακτύλου; 525 ταύτην τῶν ἐμῶν κωμῳδιῶν poeta de suā ipsius, ex qua sunt ea verba proposita, comoediā; Aves 17 Euelpides de monedula, quam ipse tenet, dicit τουτονὶ κολοιόν; idem 50; 311 οὑτοσὶ πάρειμι. Patet deinde perlustranti Anthologiam epigrammatum, progredientibus aetatibus magis magisque illud discrimen obliteratum esse; ita Euenus, Diotimus, Callimachus, Theocritus nonnunquam pron. οὗτος utuntur de mortuo, tumulo, re dedicata, apud Leonidam Tarentinum aliosque novissimorum poetarum utrumvis adhibitum pronomen videmus, prout metro commendabatur.

Quae cum ita sint, jam cedet e Simonideis epigrammatis illud 184 Οὗτος Ἀνακρείοντα, τὸν ἄφθιτον etc., cui unus editorum patrocinatus est Schneidewin. Quo carmine cur adeo fuerit delectatus, ut Simonide dignum judicaret, mireris, praesertim cum ep. 183, quod in eadem Anthologia Simonidi tribuitur, ei abjudicet, ep. 184 autem admodum sit simile reliquorum carminum, quae supersunt a recentioribus auctoribus condita in laudem Anacreontis. (Cf. Anthol. VII, 24, 26, 27, 30, 31.)

Cedet deinde loco suo illud Οὗτος ὁ τοῦ Κείοιο (129). In Anthologiae lemmate, cujus auctoritate solius epigramma Simonidi tribuitur, haec additur historiuncula: Simonidem aliquando navigantem in insula quadam incidisse in mortuum, eum humavisse, tumulum ornavisse hac inscriptione:

Οἱ μὲν ἐμὲ κτείναντες ὁμοίων ἀντιτύχοιεν,
Ζεῦ Ξένι', οἱ δ'ὑπὸ γᾶς θέντες ὄναιντο βίου.

Deinde Simonidem in somnis vidisse eum, quem affecisset sepultura, et ab eo esse monitum, ne navigaret. Obsecutum poetam solum esse servatum, reliquos, qui fuissent navigationis socii, tempestate periisse omnes. Gratiam rettulisse Simonidem altero illo addito epigrammate (Οὗτος ὁ τοῦ Κείοιο etc.). — Miraculo igitur manifesto Simonides ab interitu est retractus, atque, quod vel maxime est mirum, bis eidem contigit, ut e multis solus servaretur ope divina. Notum enim est, qua ratione unus omnium convivarum evaserit e Scopadarum domus ruina. Videbar quidem mihi patientia abuti legentium has repetens narratiunculas. Tamen reputans epigrammata ista a genuinis adhuc non esse secreta, animadvertens deinde, etiam hymnum charisterium illum, quem Aelianus tradit ab Arione conditum esse, postquam delphinorum beneficio vitam servasset, etiam hunc hymnum, inquam, usque ad Boeckhii tempora pro genuino habitum esse, eo minus supersedendum mihi censui jejuna critici opera. Jam Quinctilianus, relata illa narratione de Simonide apud Scopadas servato (Inst. orat. XI, 2) hanc addit dubitationem: „Quamquam", inquit, „mihi totum de Tyndaridis fabulosum videtur; neque omnino hujus rei meminit usquam poeta ipse profecto non taciturus de tanta sua gloria." Haec quidem Quinctilianus de uno miraculo; sed si jam de hac re dubitat ut difficili ad credendum, fugerat eum, ut videtur, altera illa, qua continetur vel duplex miraculum. Nam non solum ab interitu Simonides retrahitur ejus, quem humaverat, imagine, sed quod precatus erat in priore epigrammate humati illius ore (οἱ δ'ὑπὸ γᾶς θέντες ὄναιντο βίου), id ipsum ei illico obtigit. Cavendum autem nobis erit, ne in eandem reprehensionem incurramus, ad quam Quinctilianus Schneidewinum provocavit (Proleg. pg. XIV), qui negat illum scito et subtili usum esse judicio; dummodo a domus ruina servatum esse Simonidem constet, nihil interesse, id utrum per Tyndaridas an alio modo effectum esse vulgus sensim finxerit, a quo grues Ibico, Arioni delphini subministrentur. Quae sint ita sane; nihil enim impedio; ad nos tamen, inquam, ejusmodi reprehensio non recidat, quoniam nostro loco hoc ipsum quaeritur, quid a vulgo sit fictum, quid a poeta ipso profectum, i. e. num ipsius sint epigrammata. An quisquam putabit ipsum poetam talia de se fingere consentaneum esse, revocans nos ad exempla similia? Jam vereor, ne nugarum fines attingam, atque hisce potius demonstraverim argumentis, alterum quoque epigramma (Οἱ μὲν ἐμὲ κτείναντες) subditicium esse: Omnes reliqui, qui rem admirabilem narrant auctores (Cic. de div. I, 27; Valer. Max. I, 7, 3; Liban IV, 1101; in Valer. locum convenire videtur, quod Alanus dicit in edit. Cic. de nat. deor. ad l. l., „sua sponte quemque legentem intellegere *naufragio ejectum*") dicunt *mortuum* illum fuisse, quem sepultura affecisset Simonides; at si jam tunc temporis creditum esset Simonidis esse epigr.

Οἱ μὲν ἐμὲ κτείναντες, quam est verisimile, unum certe eorum dicturum de illo fuisse ut de *necato*, ductum voce κτείναντες. Ergo videtur infima demum aetate epigramma, antea ἀδέσποτον, Simonidi conjectura esse tributum. Deinde in lectione Anthologiae ζῶντ' ἀπέδωκε (in ep. 129, pro ζῶντι παρέσχε) mihi videor deprehendisse vestigium ex quo cognoscamus, operose quaesitum esse, ut ep. 128 illi ex altera parte responderet. Nam cum in hoc positum sit responsionis acumen, ut *rettulerit* mortuus gratiam beneficii accepti, id vero lectione ζῶντι παρέσχε (Tzetz., Schol. Aristid., quibus alterum illud epigramma ignotum est) nonnihil obtusum videretur, mutata hac lectione versus secundus ad Anthologiae historiunculam accommodatus est. Non receperunt quidem editores lectionem ζῶντ' propter ι dativi casus elisum (cf. Schneidewin pg. 171) et restituerunt illam ζῶντι παρέσχε χάριν. At si ea verba Simonidis sunt, non admodum teretes aures is videtur habuisse, cui non male sonarent vv. παρέσχε χάριν (Similia quidem disco a Lobeckio Paralip. gramm. I, pg. 44 admissa esse, at raro; deinde nescio, an alia sit locorum, quos ille affert, condicio). Ceterum epigrammatis 128mi simillima exstant in Anthologia (ed. Jacobs ἀδέσποτα No. 473—478) quibus omnibus una res tractatur, exsecrationem dico alicujus hominis a latronibus necati et ab eisdem sepulti (473 τοίου καὐτὸς ὄναιο τάφου, 474 τῶν αὐτῶν μετέχοις ὧνπερ ἐμοὶ παρέχεις, 475 τοίης ἀντιτύχοι χάριτος). Quae cum manifesto fictae sint inscriptiones, apparet ejusmodi argumentum lusum fuisse poeticum; cujus generis etiam illud potest esse 128. Denique quid mihi aliunde auxilii sit latum ad id epigramma Simonidi abjudicandum, vide infra in extrema hac commentatione.

Jam ad alium aggredior epigrammatum fasciculum, quae Simonidis habentur, sed mihi, ubi primum cognovi, suspecta erant ob rem versibus explicatam, laudem dico Corinthiorum partam pugna Artemisina et Salaminia. Cum autem intellegerem easdem res, quae suspicionem meam movissent, neque ignorari potuisse, ut notissimae, ab eis editoribus, qui eas silentio praetcrirent, et a nonnullis vel commemorari, a nullo tamen ea epigrammata Simonidi abjudicari, diffidebam satis firma me habere argumenta ad quaestionem sustinendam. At postquam observavi illum, de quo supra disputavi, pronominis οὗτος usum, accessit mihi animus repetendae quaestionis atque absolvendae; nam in eo numero illa quoque sunt No. 101 (Οὗτος 'Αδειμάντου) et 134 (ταῦτ' ἀπὸ δυσμενέων). Haec quidem duo epigrammata jam nulla egent disputatione, reliqua tamen, in quibus pron. οὗτος non est adhibitum; atque si mihi contigerit, ut demonstrem universa ea epigrammata ad Corinthiorum res gestas spectantia propter res ipsas esse subditicia, apparet non mediocre inde firmamentum accessurum eis, quae de pron. οὗτος disputavi.

Atque sunt epigrr. corinth. praeter 101 et 134 haec:

No. 99. ('Ἀκμᾶς ἑσταχυῖαν), cujus epigrammatis primum distichon exstat apud (Pseudo-) Plutarchum De Herod. mal. cp. 29, apud schol. Arist. Panath. III, 136, in Anthol. VII, 250; totum exhibet Aristid. II, 512; Simonidi in una Anthologia carmen tribuitur, refertur tamen ad Leonidam ejusque trecentos, quod perperam fieri editores demonstrant (Bergk. adn. 95); No. 98. (Ὦ ξεῖν', εὔυδρον), traditum a (Pseudo-) Plutarcho ibid. cp. 39 et apud Dionem Chrys. Orat. XXXVII, 525; ab hoc uno Simonidi tribuitur.

Commemorandum erit, praeter argumentum in compluribus eorum epigrr. inesse quaedam quae offendant. De lectione tradita ὅπλ' ἀνέθεντο Λατοῖ in ep. 134 et de correptione in v. Πέρσας in ep. 98 cf. Bergkii adnot. In ep. 98, quam dicunt inscriptionem esse tumuli Corinthiorum apud Salamina caesorum, apud (Pseudo-) Plutarchum non ῥεῖα δὲ habemus scriptum, sed ἐνθάδε. Quam lectionem cum propter asyndeton negarent ferri posse editores, alteram illam receperunt. At qua de causa illum putabimus lectionem ῥεῖα δὲ reprobasse? Quia, credo, mirum videtur, eos qui *pugna ceciderunt* gloriari, *facile* se hostes navesque eorum cepisse. Ep. 99, quae traditur inscriptio esse cenotaphii eorundem Corinthiorum, e sex versibus constat apud unum Aristidem, reliqui primum tantum exhibent distichon, quod per se integrum epigramma esse potest. Jam Schneidewin docuit miram intercedere inter primum distichon et reliqua, quae unus Aristides exhibet, dissimilitudinem; sed non omnibus videtur persuasisse. Mihi persuasit, atque hoc addiderim: Post gravissima haec verba „Hic sepulti sumus, postquam totam Graeciam in summo discrimine versantem servavimus largiti animas nostras" post haec verba, inquam, commemorare mala, quae illi intulerint Persis, pusillum videtur ac paene ridiculum.

Parum tamen, si de auctore epigrammatum quaeritur, illis dubitationibus solis (exceptis eis, quae in pron. οὗτος nituntur) efficitur, quoniam emendatione eae possunt summoveri. Videndum autem erit, num ea quoque dubitatio tolli possit, quae ad cuncta epigrammata pertinet. Scripta igitur omnia sunt ad celebrandas Corinthiorum laudes partas Persarum bellis. At ep. 101 (Οὗτος 'Αδειμάντου) manifesto pugnat cum fide historiae, cujus testis locupletissimus, quatenus de rebus agitur Persarum bello gestis, omnium fere consensu Herodotus judicatur; is autem prodit (l. VIII, 59 et 61), Adimantum Corinthium quam maxime adversatum esse Themistocli apud Salaminem confligere cupienti, deinde (cp. 94) eum cum navibus Corinthiorum e pugna fugisse. Neque minus contra Herodoti narrationem idem Simonides dicitur Corinthiorum res apud Plataeas gestas elegia celebrasse, quam elegiam (Pseudo-) Plutarchus (ibid. cp. 42) nominatim Simonidi tribuit ex ea hos versus afferens:

Μέσσοι δ'οἵ τ' Ἐφύρην πολυπίδακα ναιετάοντες,
παντοίης ἀρετῆς ἴδριες ἐν πολέμῳ,
οἵ τε πόλιν Γλαύκοιο, Κορίνθιον ἄστυ, νέμοντες,
οἱ* κάλλιστον μάρτυν ἔθεντο πόνων
χρυσοῦ τιμήεντος ἐν αἰθέρι· καί σφιν ἀέξει
αὐτῶν τ' εὐρεῖαν κληδόνα καὶ πατέρων.

(V. quarti prima v. corrupta est). Quibus versibus Bergk addidit hunc ex Apollonio sumtum (Lex. hom. 116, 25):

ξεινοδόκων δ' ὤριστος ὁ χρυσὸς ἐν αἰθέρι λάμπων.

Qua materia proposita haec reputemus: Universa carmina illa leguntur in uno libello Plutarchi nomine nobis tradito, singula apud alios auctores, qui aetate vel infra Plutarchum sunt. Atque compositus est ille libellus aperta voluntate certoque consilio, ad defendendos Boeotos Corinthiosque ab Herodoti calumniis, quod auctor profitetur in cp. 1. Jam vero cum epigrammatum auctorem non nominet Simonidem, elegiam autem, cujus consilium ab epigrammatis nihil putat differre, diserte ei tribuat, ex hac ipsa re colligas, ea non esse Simonidis. Nam si hoc notum fuisset (Pseudo-) Plutarcho — quidni autem id notum fuerit, quod auctores aetate inferiores se acceptum habere prae se ferunt — certe non omisisset sententiam suam Simonidis nomine confirmare, ut qui in eodem libello (cp. 36) Herodotum epigrammate redarguens (apud Bergk. 136) nominatim ad Simonidem provocet. — Erunt autem fortasse qui censeant, si elegiam istam Simonides composuerit, cujus sex versus reliqui consilio ac ratione epigrammatum sint similia, non esse quod contra Dionis, Aristidis, Anthologiae testimonia Simonidi ea abjudicemus. Ad id respondere quidem possumus, parum ex his elegiae versibus perspici poetae voluntatem, quibus, ut infra (pg. 23) accuratius videbimus, de Corinthiorum *rebus* ad Plataeas *gestis* nihil fere dicat. Sed si cui his argumentis quaestio non videatur ad liquidum perducta, altius ea erit sic repetenda.

Si ea Simonides scripsit epigrammata, quae cum Herodoti narratione pugnant, aut Herodotum putabimus a veritate deflexisse obtrectaturum Corinthiis, aut idem Simonidem commisisse gratificaturum, aut utrumque auctorem aut alterum certe, quas res acceptas haberet, eas bona fide rettulisse, ut, etiamsi vera sunt, quae Herodotus narrat, tamen Simonides potuerit illa epigrammata scribere nihil mentitus.

Unaquaeque ex his sententiis habet qui amplectantur. Ut a novissima exordiamur, minime crediderim, quidquam rerum ad Salaminem gestarum nescivisse Simonidem, aequalem eorum qui illis rebus ipsi interfuerant ac familiarem (Aeschyli, Themistoclis). Ergo vera rettulit Simonides, atque Herodotus potius erravit, Atheniensium narrationibus inductus et deceptus? Alterutrum certe credere videntur ei, qui a crimine animi venalis Simonidem defendunt eundemque dicunt laudes

Corinthiorum in bellis Persarum partas versibus ornasse (cf. Schneidew. Proleg. pg. XXIX). Est quidem ea de Herodoto quaestio historicorum potius provincia; ut tamen paullisper relinquam auctoritates, hoc adhibere placet liberi judicii. Ambigi potest de Herodoti loco VIII, 94, ubi dicit fugisse Corinthios pugna vix commissa, si Atheniensibus credatur; sed Corinthios illud negare, teste reliqua Graecia. Videtur igitur Herodotus ipse dubius esse. Sed nobis hoc potius sub verbis Herodoti latere videtur, eum Atheniensibus credidisse, quamvis obstaret reliquorum Graecorum testimonium, at eorundem infestorum Atheniensibus (Animadvertendum erit, quo tempore ista scripserit Herodotus). Aegre enim adducor ad credendum, tantam rem proximamque ipsius aetati Herodotum non potuisse explorare idque, quamvis ille sit simplex, palam confiteri non esse veritum. Sed ut in hac re erraverim, illud certe constat ex Herodoti verbis (VIII, 59), Adimanto Corinthio invito atque quam maxime contra nitente apud Salaminem pugnatum esse. At plane aliter est in epigr. 101 (Οὗτος 'Αδειμάντου). Jam si a nobis impetrare possumus, ut in hac quoque re Herodotum rumoribus ductum credamus, quid est quod omnino in ulla re dubia ei fidem habeamus! — Denique vix cuiquam probari putaverim, epigrammatis majorem fidem habendam esse propterea, quod „sepulcralia monumenta vel anathemata omnium oculis exposita fuerint neque res de suo confingere poetis impune licuerit" (cf. Schneidew. pg. XXIX Prolegg.). Non credimus, inquam, quoniam, quod sepulcralibus aliisque ejus generis monumentis istā sententiā vindicatur, id de historicorum commentariis multo melius dici potest; illa enim, quippe quae domi singula sint posita, paene latere videntur, cum ea comparas cum his, qui ubi primum sunt editi foras evolant ac multiplicati totum terrarum orbem percurrunt.

Earum deinde sententiarum, quas tres supra posuimus, secundam, qua Herodotus dicitur malignitate adductus Corinthiorum laudibus obtrectavisse, (Pseudo-) Plutarchus defendit eo libello, qui inscribitur Περὶ τῆς 'Ηροδότου κακοηθείας. De quo libello cum Lahmeyer praecipua cura scripserit quaestiones (De libelli Plutarchei, qui d. Her. mal. inscrib. et auctoritate et auctore), non opus est repetere causas, cur eam maculam Corinthiis consulto Herodotum aspersisse non sit verisimile, praesertim cum hodie de hac Herodoti fide non dubitent historici. Cf. Curtius (Histor. rer. gr. II, pg. 743, adn. 30). Ambigi posse supra (pg. 20) dixi de Herod. VIII, 94, quem locum Curtius nos inspicere jubet; sed si quis incorruptum judicium Herodoti vult probare, non omittendum putaverim eum locum (lib. IX, 102, 105), ubi res apud Mycalen gestas persequens minime laude justa Corinthios privat. Illae autem criminationes, quibus Corinthii in Herodotum invehuntur, infima aetate videntur conflatae esse. Nam, ut disco a Lahmeyero, Favorinus (vel Dio Chrysost.) demum narrat Herodotum Corinthi recitationem habuisse, pro qua cum Corinthii mercedem recusassent, illum in libris suis res Salaminias, quatenus

eae ad Corinthios spectarent, in pejus mutasse. De rebus igitur, quae illo (Pseudo-) Plutarchi libello continentur, quamquam nescio an non dubitetur, de ingenio tamen auctoris dubii pauca dicenda erunt, causae meae evincendae profutura. Atque universa ejus disputatio, quam infra historici judicium esse censuerim, tironis alicujus lucubrationibus est similior. Pauci sane eminent loci, quibus locis aliquā rerum certe antiquarum scientiā nitantur quaestiones atque quadam ratione et via; at ex eis, quae plurima adversus Herodotum argumenta apud illum inveniuntur, aliquot liceat delibare. Jam quanta in rebus mythicis tractandis Herodotus fuerit malignitate, discimus e cp. 11. Negare enim Herodotum invitas abduci e patria potuisse Jo, Helenam aliasque feminas fabulosas. Quod singularis cujusdam malignitatis esse. An illum putare etiam Regulum et Philopoemenem vel tigres leonesque (!) permultos, qui vinclis tenerentur, non invitos domo abreptos esse. — Quotusquisque non censebit, id argumentum, quod ille accipi vult ut acerbum facetumque, quovis viro esse alienum, quod tamen adolescentulo condonemus! Ridicula deinde ira Herodotum, quod is Pythiam dicit quoddam responsum dedisse obsecutam Clistheni, sic castigat (cp. 23): Καλλίστῳ μὲν ἔργῳ καὶ δικαιοτάτῳ προσάπτων ἀσεβήματος διαβολὴν τηλικούτου καὶ ῥαδιουργήματος, ἀφαιρούμενος δὲ τοῦ θεοῦ μαντείαν καλὴν καὶ ἀγαθὴν καὶ τῆς λεγομένης συμπροφητεύειν Θέμιδος ἀξίαν. Quam rem igitur Herodotus tradit, eam redarguit ille auctor hoc usus argumento: „Heus te impium!" Num talia ab historico profecta esse putabimus, non potius a declamatore! Atque ex hoc quoque potes declamatorem vel rhetorem agnoscere, quod adversarium suum Herodotum quasi praesentem secunda persona saepe appellat (cp. 29). Tum malignitatis esse docet (cp. 32) et quod Herodotus res ad Thermopylas gestas persequens clarissimum facinus Leonidae dissimulet, incursionem ejus in Persarum castra et ipsius Xerxis tentorium, et quod aliorum Spartiatarum praeclara facta et eorum Leonidaeque memorabilia dicta (τολμήματα καὶ ῥήματα) silentio praetermiserit. At constat eas fabulas esse. Quem vel quarti quintive ordinis historicum tali usum esse judicio credi potest! Commemoratione denique est dignum, quomodo ab Herodoti calumniis Adimantum defendat Corinthium, quem ille negat in bellis Persarum bene meritum esse. Apposito enim illo epigrammate 101 (Οὗτος 'Αδειμάντου) probat esse non posse, ut Adimantus fuerit timidus ille homo et proditor, quoniam post mortem tantum gloriae ei sit habitum; neque eum ausum fuisse filiabus nomina imponere Ναυσινίκη, 'Ακροθίνιον, 'Αλεξιβία, neque filio 'Αριστεύς, nisi quid illustre egisset bello navali. En argumentum quam ridiculum! —

Ergo cum tam parvi sit habendum illius auctoris judicium, quam ex hisce exemplis licet intellegere, num ejus testimonio possumus adduci ut aut Herodotum aut Simonidem mentitum esse credamus? Neque multum ad hanc rem interest, utrum ille fuerit nescio quis sophista adolescens, qui eo libello de quaestione a

magistro proposita dissereret (quae sententia est Bährii, ad Herod. V, 63, 1), an Plutarchus, qui admodum adolescens pravo patriae amore ad prava judicia raperetur (Qui praeter Bährium Plutarcho libellum abjudicaverint, v. ap. Lahmeyr. pg. 81).

At accedit Dionis Chrys. auctoritas, qui ipse quoque ex epigrammatis a (Pseudo-) Plutarcho allatis duo (No. 98 et 101) et exhibeat et Simonidi adscribat. Quanti faciendum sit hujus testimonium, id e libello Lahmeyeri disco (pg. 83), qui observavit, esse inter orationes Dioneas (Τρωικὸς ὑπὲρ τοῦ Ἴλιον μὴ ἁλῶναι. Κορινθιακός, quem Lahmeyer dicit Favorini esse), quarum non modo argumentum et consilium, sed etiam singulae partes ac vel singuli loci et verba tam similia sint libelli (Pseudo-) Plutarchei, ut alter alterum putetur consulto imitatus esse. Singula exposuit Lahmeyer; illinc de universarum orationum similitudine haec repeto: Ut (Pseudo-) Plutarchus docet, Herodoti historiarum libros malignitatis documenta exhibere auctoris innumerabilia, sic Dioni fuit propositum demonstrare una oratione (Τρωικός), Homerum totis suis carminibus mendacii ac fraudis coargui. Idem auctor (nam plures censent Dionis, non Favorini esse orationem, quae inscrib. Τρωικός) in oratione Corinth. fidem Herodoto derogat in rebus ad Salaminem gestis. Utercunque vero alterum imitatus est (Plutarchi librum priorem esse demonstrat Lahmeyer), ejusmodi imitatio ipsa docet, nihil tribuendum esse consensui commentationum, ex una, ut videtur, officina profectarum, fortasse rhetorum schola, in qua tum videtur usitatum fuisse maximos antiquitatis auctores carpere ac vellicare, neque ex eo, quod Dio epigrammata Corinthiaca, a (Pseudo-) Plutarcho sine auctoris nomine tradita, Simonidi tribuit, aliud colligemus, nisi ipsum fortasse, ea esse Simonidis, credidisse. Ceterum novissimos quosque aetate videmus paratissimos esse ad ornanda epigrammata magnorum poetarum nominibus; ut in his quae (Pseudo-) Plutarchus et Dio omiserunt Simonidi tribuere, eis in Anthologia additum est illud „Σιμωνίδου", unum quod reliquum erat auctoris nomine non signatum (135tum), nostra aetate Simonidi tribuitur.

Neque de testimonio elegiae, cujus particulam affert (Pseudo-) Plutarchus, majorem fidem ei habendam censeo. Videtur quidem editoribus vel aliunde confirmari eos versus Simonidis esse. Nam in Apollonii lexico hom. sub v. ξεινοδόκος demonstratur, ξεινοδοχεῖν significare μαρτυρεῖν, atque haec adduntur: φησὶ γοῦν Σιμωνίδης· Ξεινοδόκων δ' ἄριστος ὁ χρυσὸς ἐν αἰθέρι λαμπρός (quod varie emendaverunt homines docti). Quem versum huc pertinere ratus Bergkius elegiae fragmento septimum adjecit. Speciosissima sane conjectura, vacare tamen eam dubio negaverim. Nam admodum est mirum, quod illic traditur de vv. ξεινοδόκος, ξεινοδοχέω significatione, neque, liceat efficias interpretandi artificio, ut *hospitem accipere* idem sit atque *testem esse*, hoc duobus reliquis, quae ab Apollonio afferuntur, exemplis probari potest; alterum enim est fragmentum, ex quo rem per-

spicere non possimus (Pind. Fr. 278 ed. Böckh. ξεινοδόκησέ τε δαίμων), altero loco (Hom. Od. σ, 63 ξεινοδόκος μὲν ἐγώ), nihil impedimur, quominus ξεινοδόκον esse coenae dominum intellegamus. Accedit, quod apud reliquos qui illum versiculum exhibent (cf. Bergk. ad fr. 84), non Simonidi, sed Pindaro ille tribuitur. Dicunt quidem interpretes, id per errorem esse factum, unusque Böckhius errorem convincit docens versum esse hexametrum heroicum itaque non recte dici Pindari esse. Hexameter sane iste versus est apud Apollonium (emendatā tamen voce ἄριστος), apud illos autem, qui Pindaro eum tribuunt (velut Etym. M.), sic est traditus: Ξεινοδόκων δ' ἄριστος χρυσὸς ἐν αἰθέρι λάμπων (Zonar. ξενοδόκων), quibus verbis etiam alia metra possunt accommodari. Denique cum hoc loco etiam usitata vocis ξεινοδόκων significatio intellegi possit („est sol hospitum optimus", quippe qui lucem omnibus largiatur), ne ex hac quidem parte est, quod eum versum utique censeamus elegiae fragmento asserendum esse.

Sed ut sit fragmentum Simonidis, apparet illud non tam pugnare cum rebus ab Herodoto traditis, quam epigrammata, quoniam inanes sonos exhibet, res nullas. Haec enim dicuntur: „Corinthios rerum egregie gestarum testem habere solem, atque hunc et ipsorum et majorum famam augere"; ad quod jam additur ex Bergkii conjectura: „sol enim testium est optimus". Docet Schneidewin (pg. 83) his verbis satis significare poetam ipsum, non consentire de gloria Corinthiorum judicia hominum, cum spretis mortalibus ad unum maxime Solem, ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει, locupletissimum Corinthiorum virtutis testem provocet. — Equidem nescio, quomodo tales versus non cavillationes potius quam laudes interpreter, atque haec una mihi se offert ratio, qua Simonidi eos tribuere possimus, ac tamen eundem non ludibrio habere: si conicimus, *voluisse* poetam legentium risum excitare. Traditum enim est apud Plutarch. (Themist. cp. V) Themistoclem per jocum reprehendisse Simonidem, quod Corinthiis conviciaretur; licebit autem dubitare, num propter illud solum Κορινθίοις δ'οὐ μέμφεται τὸ Ἴλιον Simonidi succensuerint Corinthii (Cf. Bergk. fr. 50). Age vero, num illi elegiae versus, qui speciem apertae laudis prae se ferunt, tectae cavillationis adeo sunt dissimiles? Si cui forte alienum videatur eas nugas *elegiae* intextas esse, nescio an eum aliquorum Pindari carminum admoneam, qui in summa gravitate non dubitat in transitu acerbe inimicos perstringere (Ol. II, str. ε, Pyth. II. str. γ). Sed non admodum certum mihi videtur, propositam nobis esse *elegiae* particulam, quamvis affirmet (Pseudo-) Plutarchus. Nam cum in eodem libello (cp. 36 Δημόκριτος τρίτος ἦρχε .... et cp. 39 Αἵδ'ὑπὲρ Ἑλλάνων .....) ille duo epigrammata nobis ut integra vendat, quorum alterum videtur esse epigramma mutilum (Bergk. adn. 137), alterum particula longioris alicujus carminis, non epigrammatis (Bergk. adn. 136), ea re cognoscitur, eum non omnes quos affert veterum auctorum locos ex integris illorum carminibus elegisse, sed fortasse ab aliquo auctore, qui ipse quoque sin-

gulos locos citaret, desumsisse jam excerptos. Ita errores longe propagari potuerunt. Quod facile accidere potuisse cum viderimus ex illa quae inter (Pseudo-) Plutarchum et Dionem Chrys. intercedit imitatione, tum intellegere licet ex hoc, quod ep. 137 quamvis aperte lacunosum tamen etiam ab Athenaeo (XIII, 573 C.) et a schol. Pind. ad Ol. XIII, 32 pro integro sit traditum. Itaque non absonum mihi videtur conicere, illos, de quibus quaeritur, versus, si sunt Simonidis, ludicri generis esse poematii, scripti ad irridendos Corinthios. Talia Simonide non esse aliena patet ex paegniis (apud Bergk. No. 168 sqq.). Ceterum favet meae conjecturae, quod Hermannus, ut disco e Schneidew. Delectu p. 402, versum quartum corruptum sic emendandum censet: οἷον κάλλιστον . . . . . Quod si acerbe reprehendit Schneidew., quoniam sit „poetae de Corinthiorum virtutibus detracturi", hoc ipsum poeta fortasse voluit.

Jam vero quaerenti, cur a nullo vel eorum, qui magni faciant Herodoti fidem, dubitatum sit, quin epigrammata cum eo pugnantia Simonidis essent, haec praebebitur causa, quod veterum auctorum testimoniis illi confisi credunt Simonidem fuisse eum, qui pecuniam historiae fidei anteponeret (Cf. Lahmeyer pg. 25, Schneidew. pg. 83), atque haec quoque corinth. epigrammata scriberet non inscius rerum, quales fuissent, sed quasi subridens parumque de veritate sollicitus, dummodone merces deesset. Talia quidem ducuntur e veteribus auctoribus, neque tamen propioribus Simonidis aetati, sed remotissimis eisque studiosis historiuncularum (Cf. Bernhardy Littr. graec. II, pg. 625), cum apud illos antiquiores hoc unum inveniam, Simonidem pecuniae cupidum fuisse neque operam suam vendere voluisse nisi multo. Ac ne id quidem eruimus ex antiquioribus scriptoribus, nisi maxima in Simonidem severitate usi interpretamur duos locos: Aristot. Rhet. III, 2 et Aristoph. Pax 681. Nam Platonis locus (Protag. 346 B), quem inspicere jubet Lahmeyer, non venerit in censum. Nihil enim ibi habes de Simonidis avaritia, sed hoc tantum dicitur, familiaritate quadam, quae ei esset cum tyrannis aliisque hominibus opulentis, saepe ei impositam fuisse necessitatem illos laudandi carminibus. Id sibi velle illum locum, atque excusari potius quam incusari Simonidem, etiam magis apparebit legentibus quae ibi antecedunt. At quanto vel avaritia distat ab ista fraude, in qua dicunt eum operam suam poeticam auro corruptum collocasse! An credi potest, Simonidem, quem tradiderunt Themistocle familiariter usum esse, Corinthiis autem fuisse infestum, eundem postea adeo flexum esse pecunia, ut versibus mandaret, *Adimanti consiliis* Graeciam esse servatam! Ac si delapsus est ad hanc avaritiae humilitatem ac sordes, nonne id potius alicui e vituperatoribus illis castigandum erat, quam sola avaritia! Ceterum multa conflata esse de Simonidis avaritia ex ipsius verbis quae facetius quam verius dicta accipi volebat (ἃ κομψευσόμενος ἐψεύσατο, Plato, De republ. 419 B) demonstrat Bernhardy II, 627. — Haec quidem de eis, qui illum vituperant; at laudantium

unum locum appono, quem huc pertinere putaverim, quia est ex sermone de justitia. Legimus igitur apud Platonem De Republ. I, 335 E . . . . ἐάν τις αὐτὸ φῇ Σιμωνίδην ἢ Βίαντα ἢ Πιτταχὸν ἤ τιν' ἄλλον τῶν σοφῶν τε καὶ μακαρίων ἀνδρῶν. Videte jam, quo loco sit ista de Simonidis moribus quaestio; illic aniles narratiunculae scholiastarum serioris aetatis, hic Platonis laus philosophi, quam Simonidi impertit ut sapienti de justitiae vi ac natura judici. Num forte putabimus Platonem, optime versatum in Simonidis et carminibus et moribus, ea laude eum affecturum fuisse, si ille Themistoclem sua laude fraudasset Adimanti Corinthii gratia? In partes denique voco eorum qui hodie sunt criticorum testimonium idque gravissimum Bernhardyi, qui negat (II, pg. 620), jure Simonidis dignitatem in controversiam vocari vel poeticam operam suspectari quasi in servili ministerio collocatam, neque concedit (pg. 621) in eis quae supersint carminibus deprehendi venalis operae vestigium.

Quae cum ita sint, epigrammata ista, quibus Corinthiorum laudes bellicae commendantur, arbitror non a Simonide scripta esse; quae sententia eo confirmatur, quod ex illis duo (No. 101 et 134) etiam aliam ob causam subditicia esse demonstravimus. Non tamen necessarium est statuere, omnia subdita esse ab eis demum auctoribus, apud quos hodie exstant, cum vel genuina potuerint ab illis judicari. Jam Herodotus narrat (IX, 85), eos Graecos qui non interfuissent pugnae Plataeensi, cenotaphia tamen in pugnae loco exstruxisse pudore adductos. Quod si verum est, potest illud quoque in Isthmo Corinthiorum cenotaphium aliaque eodem modo nata esse. Quae monumenta si compluribus post saeculis renovabantur inscriptionesque addebantur, praesertim antiquiore litterarum forma ductuque, quod consulto saepius factum esse Böckhius docet in Corp. inscr. I, 25, non mirum quod cives Corinthii paulatim libenter sibi persuaderent, ea epigrammata Simonidis esse.

Non est quod in subditiciorum numero habeam ep. 137 (Αἵδ' ὑπὲρ 'Ελλάνων . . .), scriptum illud quidem Corinthiis, at non pugnans cum historiae fide. Sed ut sint hi versus Simonidis, qua parte etiam in eis tradendis (Pseudo-) Plutarchi fides exigua videretur, id supra attigimus.

Deinde mihi est propositum disputare de tribus epigrammatis, de quorum auctore vel post novissimas editiones videam ambigi posse, No. 105 (Οἵδε παρ' Εὐρυμέδοντα, Anth. VII, 258), No. 106 (Τῶνδέ ποτ' ἐν στέρνοισι, Anth. VII, 443), No. 142 ('Εξ οὗ τ' Εὐρώπην, Anth. VII, 296).

E quibus epigrammatis, quae, si creditur Anthologiae lemmati (VII, 296), ad Cimonis victoriam geminam ad Eurymedontem reportatam spectant, 142

praeterea apud Diodorum (XI, 62) exstat et Aristidem (II, 209) ejusque scholiastam (III, 209), atque ab his duobus et in Anthologia Simonidi tribuitur, apud Diodorum auctoris nomen non est additum. Brevissimae ante Bergkii edit. novissimam disputationes hoc epigramma prosequebantur; veluti Schneidewin (in ed. reliq. pg. 157) illa censet cuncta subditicia esse propterea, quod defuncto Simonide res illae ad Eurymedontem gestae sint (Non videtur tamen Schneidew. hac sententia stetisse, quandoquidem in eo libello qui inscribitur „Zur Kritik der Poetae lyrr. graecc." quartum versum ep. 106ti profert ut exemplum dictionis Simonidis vel maxime propriae). Ea autem quae tum fluctuabat de temporum rationibus quaestio ne nunc quidem eo est deducta, ut ante Simonidis obitum constet pugnam Eurymedontiam factam esse. Nam cum Simonidem omnes consentiant mortuum esse Ol. 78, 1, alteri Diodorum secuti docent, eam victoriam Cimonem reportasse Ol. 77, 3, alteri Ol. 78, 3 (Curtius, Grote), 78, 4 (A. Schaefer), ergo post illius mortem; ex Bergkii ratione (Ol. 78, 1 circa initium) potuit Simonidi ad eam victoriam celebrandam vita suppeditare, at vix potuit. Tamen eis quoque, qui ante Simonidis mortem pugnam commissam esse statuunt, unum obstabat quominus huic carmen 142 adscriberent, lectionem dico ἐν Κύπρῳ (v. 5) a Diodoro et in Anthol. traditam. Ea igitur summota receptisque verbis ἐν γαίῃ ex Aristide ejusque scholiasta, omnibus rebus putabatur satisfactum esse. Quod mirabamur; ac non temere nos mirari persuasimus nobis e Bergkii adnotatione (in edit. II, pg. 204), qui unus tum quidem offendebat in v. ὀλέσαντες, „quod v. 5 pedestre proelium ante navale commemoraretur, cum tamen contra res illae gestae essent". Aliter idem in novissima editione de eo epigrammate judicat negans offendendum esse in aorist. temp. participii ὀλέσαντες; repetitis deinde auctisque causis, cur lectio ἐν Κύπρῳ sit reicienda, et temporum rationibus denuo diligentius lustratis, non esse censet, quod epigramma Simonidi abjudicetur.

Denuo autem percensentibus novissimas de eo epigrammate quaestiones hisce fundamentis nitendum nobis videtur, ut de quibus omnino non possit ambigi: Constat igitur primum, Eurymedontiam, non Cypriam Cimonis victoriam geminam illis versibus celebrari; quod luculentissime Bergkius adversus Schaeferum et Engelum demonstravit. Constat deinde *ante* pedestrem pugnam commissam esse navalem, cum de ea re Diodorus (XII, 3) et Plutarchus (Cimon c. 18) consentiant, neque Thucyd. (I, 100) dissentiat. Apparet enim hunc, cum breviter res illas referens dicat ἐγένετο δὲ . . . ἡ ἐπ' Εὐρυμέδοντι . . . . πεζομαχία καὶ ναυμαχία et ita pedestrem pugnam priore loco collocat, h. l. noluisse ordinem temporum referre, quo pugnae essent factae. Tum constat numerum captarum deletarumque navium fuisse minimum CC. Denique commemorandum erit hac re Diodorum a reliquis auctoribus dissentire, quod pugnam navalem, quae pedestri Eurymedontiae ante-

cessit, *non ipsam quoque ad Eurymedontem,* sed ad *Cyprum* (περὶ τὴν Κύπρον) commissam esse tradit.

Quae cum ita sint, interpretes censent lectionem ἐν Κύπρῳ in v. 5 ferri non posse, quoniam in Cypro pedestris pugna non sit commissa. Ita Bergkius Aristidis ejusque scholiastae lectione ἐν γαίῃ recepta (quod ante eum Krüger fecit, Histor. philol. Studien) addit de partic. ὀλέσαντες, in quo antea offenderat, haec: „Cave participium interpreteris latino vocabulo *postquam*; est enim nihil aliud quam ὤλεσαν καὶ εἷλον." Dicit quidem ipse proelium navale ante pedestre commissum esse, sed licuisse censet poetae ordinem rerum gestarum invertere, cum vel rerum scriptores et oratores, quibus non sit eadem venia concessa, ὕστερον πρότερον admiserint plane ad eundem modum. Appellat eum quem supra commemoravimus Thucydidis locum (I, 100) et Lycurgi (Orat. in Leocrat. 72 ἐπ' Εὐρυμέδοντι δὲ καὶ πεζομαχοῦντες καὶ ναυμαχοῦντες ἐνίκησαν) et Diodori (XI, 61 νενικηκότες δύο καλλίστας νίκας, τὴν μὲν κατὰ γῆν, τὴν δὲ κατὰ θάλατταν). Addi possunt poetarum plures loci, veluti ex ep. 105, ubi de eadem victoria scriptum est πεζοί τε καὶ ὠκυπόρων ἐπὶ νηῶν, vel 107, v. 5, ubi Mycalaeam ante Salaminiam pugnam positam videmus, atque jure causam Bergkius repetit ex usitato illo κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν. Tamen horum locorum non eadem atque illius (ex ep. 142) est condicio. Hic enim copulativis conjunctionibus καί, τε — καί, καί — καί, μέν — δέ, nulla adhibita temporis significatione, hoc tantum refertur, quae partae sint victoriae, non quo temporis ordine; sed in ep. 142 aoristi temporis participio non significari *priorem* actionem negandum erit. Non est necessarium altius in eam quaestionem grammaticam penetrare, quoniam ista interpretatione nata est altera difficultas, quae num superari possit vehementer dubitamus. Nam si illos sequimur, navalis pugnae memoria omnis continetur hac re, quod centum naves captae dicuntur; reliquarum centum, quae pugna afflictatae demersaeque sunt, nulla fit mentio (Cf. Grote, Rerr. graecc. hist. ed. Meissner III, p. 240). Cui rei non obstare Thucydidis testimonium non facile quemquam Bergkio concessurum esse speraverim (Thuc. I, 100; καὶ εἷλον τριήρεις Φοινίκων καὶ διέφθειραν τὰς πάσας ἐς διακοσίας). Dicit igitur Bergkius, per se consentaneum esse, cum Phoenissae naves centum captae fuerint, Cilicum et Cypriorum naves non omnes salvas integrasque discessisse, ac praeter eas, quas ceperint Graeci, multas esse demersas. Id argumentum quam sit infirmum, adeo per se patet, ut capere naves an delere in pugna quaerere nolim majori apud Graecos fuerit honori; satis habeo hoc unum commemorare: si tam consentaneum illud fuit, ut silentio praeterire poetae liceret, cur tamen non supervacaneam esse demersarum navium commemorationem *omnes* rerum scriptores censuerunt, ne Thucydide quidem excepto, quamvis breviter ac summatim eas res narrante? Quia, credo, id non minus grave ad universam victoriam recte aestimandam putabant. Ac non est,

cur minoris interfuisse poetae putemus ea quae victoriae splendorem augerent commemorare.

Itaque cum ei interpretes, qui lectionem ἐν γαίῃ receperunt, id non sint assecuti, ut epigramma jam quadret in res traditas, supersedeo cum eis quaerere, quonam errore altera illa lectio (ἐν Κύπρῳ) nata sit. Proinde ex integro, servata lectione Diodori et Anthologiae ἐν Κύπρῳ, res tentanda est. Cui lectioni Bergkius monet plane adversari verba ἔργον ἐν ἠπείρῳ καὶ κατὰ πόντον ὁμοῦ; nam proelium pedestre si in insula commissum fuisset, nullo pacto ἐν ἠπείρῳ dici potuisse. Sane. At num vv. ἐν Κύπρῳ Μήδων πολλοὺς ὀλέσαντες necesse est (id quod omnes interpretes fecerunt) ad pedestrem pugnam referre? Id equidem negans tandem finem facio negandi; jam enim ad positivam (ut dicunt) partem quaestionis hujus aggredior. Postquam igitur omnes interpretum conatus irritos esse mihi persuasi, relictis auctoritatibus in hoc fundamento disputandum censeo: In primis consentaneum est, Diodorum non appellaturum fuisse epigramma, quod cum rebus, quales ipse tradit, non consentiret. Si quis igitur ita explicaverit epigramma, ut retenta lectione ἐν Κύπρῳ illud cum narratione Diodori consentiat, nihil erit mutandum. Atque ita illud jam explicare conabor. Diodorus XI, 60 res a Cimone tum gestas suis persequens verbis refert navalem pugnam commissam esse περὶ τὴν Κύπρον, in qua Athenienses multas hostium naves delevissent (πολλὰς μὲν τῶν ἐναντίων ναῦς διέφθειραν), plus centum cum remige et milite cepissent (πλείους δὲ τῶν ἑκατὸν σὺν αὐτοῖς τοῖς ἀνδράσιν εἷλον). Non alienum, imo necesse mihi videtur *navalem* pugnam epigrammatis verbis οἵ δὲ γὰρ ἐν Κύπρῳ Μήδων πολλοὺς ὀλέσαντες sqq. respici. Haec igitur, si verbum verbo reddimus, dicit poeta a v. οἵδε — usque ad v. πληθούσας: Hi enim *ad* Cyprum Medorum multos occiderunt et Phoenicum centum naves in mari ceperunt cum ipsis militibus.*) Haec verba igitur si recte sum interpretatus, ea quae sequuntur ad pedestrem pugnam erunt referenda. Ac nihil obstat; nam verbum verbo reddens facile, nullis adhibitis argutiis, hoc erues ex extremo disticho: „vehementer autem ingemuit Asia ab illis verberata ambabus manibus robore belli". Quidni voce Ἀσὶς *terra* satis indicetur, et quamvis vv. πληγεῖσ' ἀμφοτέραις χερσί per se possint duplicem victoriam spectare, possumus tamen, et h. l., ni fallor, debemus ea ita interpretari, ut valeant „summa vi".

Potest igitur epigramma, quale a Diodoro traditum est, nulla mutata littera ita explicari, ut cum rebus ab eodem traditis conveniat. Nam et hic et illic habes

*) Quod Medos dicit navali pugna occisos, id nemo mirabitur, quoniam ex Herodoto (VII, 96) acceptum habemus, non solis maritimis gentibus, sed etiam aliis, velut eis, qui proprie Medi dicuntur, naves impletas fuisse. Etsi igitur Diodorus (XI, 60) tradit τὸ δὲ ναυτικὸν ἤθροισαν ἔκ τε Φοινίκης καὶ Κιλικίας, id non adversatur epigrammati, eoque plus causae illo bello, quam superiore, de quo agit Herodotus, fuisse consentaneum est, cur Persae non solis dediticiis eventum navalis belli committerent.

navalem pugnam ad *Cyprum* commissam; deinde praeter captas centum naves reliqua quam Persae eadem pugna fecerunt jactura commemoratur verbis Μήδων πολλοὺς ὀλέσαντες; denique aperte jam dicitur *prior* fuisse navalis pugna. Neque vero est mirandum cum Grotio (l. c. III, pg. 240), quod Diodorus CCCXL naves captas esse tradat, in epigrammate captarum numerus sit centum. Nam apud eundem Diodorum legimus (XI, 60) post pugnam omnes quae reliquae essent naves in littore a Persis desertas captas esse; quam rem minoris gloriae poeta arbitratus eas tantum mavult commemorare, quas in pugna ipsa ceperint (. . . . ἑκατὸν ναῦς ἕλον ἐν πελάγει).

Haec quidem de epigrammate, quale et ejus auctor intellegi voluit et sine dubio Diodorus. At hoc dicere minime volo idem esse omnibus numeris absolutum. Tamen si id unum sententiae meae obstat non conturbor. Nam si constat, cum falsa Diodori de pugnae loco narratione convenire epigramma, quod Diodorus affert testimonium, sequitur, *non Simonidis epigramma esse*, sed a recentiore aliquo poeta scriptum fortasse per lusum, qualia sunt multa, quod tamen Diodori temporibus genuinum habebatur. Dissentimus enim a Krügero (Histor. philol. Studien I, pg. 64), qui ipso orationis habitu hoc epigramma praestare censet ei, quod apud Bergkium est 105 (Οἵδε παρ' Εὐρυμέδοντα), quod poematium esse dicit succi et sanguinis expertem, meris epithetis conflatum („inhalt- und farblos, blos beiwörtelnd"), indignum Simonide ejusque aetate. Sit sane exile poematium 105 — id quod alii negant — sed, ut hoc jam praecipiam ex posteriore quaestionum mearum parte, cum plura invenias in eis, quae Simonidi nemo abjudicat, hujus simillima, tum ep. 142 (Ἐξ οὗ τ' Εὐρώπην) verborum floribus ac paene tumore, qualia exhibentur in carminis initio, multo magis quam 105 ab eorum similitudine recedit, quae in optimis Simonideis habentur.

Jam concludere possumus nostram de ep. 142 disputationem, quatenus quidem ea certis nititur argumentis; adducimur tamen opportunitate, ut levissima singularum litterarum mutatione summovere conemur ea, quibus interpretandi errorem opinemur natum esse. Sed non nimis sumus solliciti de hac parte operae nostrae, cum sit nobis persuasum, non in Simonideis versibus eam versari. Accedit quod in hoc poematio quo major est numerus lectionum variantium, eo minus est periculum, ne genuinae lectioni vim facias.

Vidimus igitur, voce ἀμφοτέραις effici, ut interpretes extremum epigrammatis distichon ad *duplicem* victoriam referant. Sed si pro ἀμφοτεραις scriptum fuisse ponimus αὐθ'ἑτεραις (altera manu, i. e. terrestribus copiis, opp. navalibus), nemo jam dubitabit, quin ad terrestrem pugnam ea verba respiciant, et si semel natum esse errore statuimus illud ἀμφοτέραις relatumque ad geminam victoriam, apparet, quoniam necesse est vv. Φοινίκων ἑκατὸν ναῦς ἕλον ἐν πελάγει . . . ad navalem pugnam pertinere, ea quae sola supererant vv. ἐν Κύπρῳ Μήδων πολλοὺς ὀλέσαντες ad pe-

destrem pugnam necessario esse relata; quam cum non in Cypro factam esse constaret, lectio ἐν γαίῃ substituta est.

Unum superest quod in mea interpretatione nescio an minus probetur, quod *Medi* tantum dicantur in pugna navali *occisi*, *Phoenices capti* esse. Possumus opinari, auctorem epigrammatis ipsam rem ut gestam accepisset, ita rettulisse, atque Medos, ut fortiores magisque fidos, solos strenue Atheniensibus restitisse, illisque occisis Phoenices naves dedidisse victoribus; sed potest etiam genuina lectio fuisse Μήδων . . . . . Φοινίκων θ'ἑκατόν, quod τε omitti necesse erat, ubi semel illud ἀμφοτέραις ad geminam victoriam spectare putabatur.

Epigrammata 105 et 106 in sola Anthologia adscribuntur Simonidi ibidemque lemmate utrumque in Eurymedontiam pugnam diserte refertur. Paene nulla in his rebus fides est Anthologiae; tamen No. 105, cum ex ipso suspicionis notas nullas possis repetere, non erit quod Simonidi abjudicemus. Quamquam autem assensionem cohibeo, cum praesertim inter summos historicos sint, qui Eurymedontiam pugnam Ol 78, 3 vel 4 (ergo post Simonidis obitum) dicant commissam esse, nihilo minus ponderanda erunt judicia, quibus quis, omissis temporum rationibus, alterutrum studeat evincere. Atque Schneidewin in libello qui inscribitur „Zur Kritik der Poetae lyrr. etc." docet vel maxime proprium esse Simonidis, contrariis vocibus opponere contrarias, ut in ep. 106 vv. ἄψυχ' ἐμψύχων, No. 123 ἀθάνατον θνητοῖς, No. 129 τεθνηὼς ζῶντι. Non spernenda esset ea observatio, si ep. 123 et 129 constaret Simonidis esse. At 129 (Οὗτος ὁ τοῦ Κείοιο etc.) ab eo abjudicavimus ipsi, de 123, quod ipsum quoque sola Anthologia (VII, 300) nititur, vehementer esse dubitandum demonstrabimus. Nam primum offendimus in altero disticho,

Μνῆμα δ'ἀποφθιμένοισι πατὴρ Μεγάριστος ἔθηκεν
ἀθάνατον θνητοῖς παισὶ χαριζόμενος,

cum exstent aliquot versus (apud Diog. Laert. I, 6, 2; Simonid. fr. 57), quibus Simonides irridet Cleobulum Lindium praedicantem monumenti immortalitatem. Atque cum acerbe eum reprehendat (μωροῦ φωτὸς ἅδε βουλά) minimeque vel in brevi fragmento causa sit obscura (ut in vv. λίθον δὲ καὶ βρότεοι παλάμαι θραύοντι), mirum est ipsum jam incurrere in eandem reprehensionem. Excusat quidem poetam Schneidewin (pg. 169 ed. fragm.) sic: „Verum enimvero extenuatur magniloquentia eo, quod ἀθάνατον voci θνητοῖς ex adverso apposuit". Id nescio an nemini sit probatum. Quid quod non minus recte dicere possumus, *augeri* ea ipsa re magniloquentiam atque eo magis in oculos incurrere. Non ignoramus quidem, multos esse locos, quibus auctorem aliquem sibi ipsum repugnare demonstretur, vel oblitum quid aliquando temere jecisset, vel sententia mutata mutatis rebus temporibusque. Hanc condicionem apparet non esse illius loci. Nam ad ea, quae supra diximus, accedit, quod ne gloriam quidem aeternam laudemve immortalem

Simonides in epigrammatis usquam spargit, parcus in talibus, ut dicunt, superlativis; ea certe, in quibus ἀγήραντος εὐλογίη et ἄσβεστον κλέος comparent (No. 95 et 96) suspecta sunt (v. infra pg. 31).

Sed alterum est aliquid in ep. 123 dubium, quod ab omnibus interpretibus num recte silentio sit praetermissum, jam videndum erit. Megaristus igitur pater, ut est in secundo disticho, liberis suis immortale exstruxit monumentum. At immortalitati liberos commendaturus, unum nominat Pythonactem, alterum significans tantum voce „fratris" quasi fraudat immortalitate, in quam ipse, suo nomine addito, irrepit (Μεγάριστος, ex conject: Grotii; in Anth. μέγ' ἄριστος, Planud. μέγ' ἄριστον). Quod quomodo quis defendere velit, nescio. Sane vel omitti in epigrammate potest nomen ejus, cujus gratia sit scriptum, ut in Corp. inscr. I, 747 (Jacobs Paral. Anth. II, 15):

Εἰκόνα τήνδ' ἀνέθηκε Πολύστρατος αὐτοῦ ἀδελφοῦ
μνημοσύνην θνητοῦ σώματος ἀθάνατον,

ubi ejus, qui monumentum condidit, nomen videmus scriptum, mortui fratris omissum; at additus est imagini hic titulus: Πολύλλος Πολυλλίδου Παιανιεύς; in ep. 123 apparet *utrumque* aut omitti aut poni oportuisse. Neque in ea re Planudea lectione sublevamur κασιγνήτην; nam si quis forte putaverit, propter minorem feminarum Graecarum personam sororis nomen omitti potuisse, id non crediderim nisi allato exemplo plane simili, praesertim cum inveniantur epigrammata, in quibus et fratris et sororis nomina scripta sint. Latet fortasse in illo κασίγνητον vel κασίγημι (ut est in marg. cod.) aliquod proprium nomen; sed alienum certe videtur, cum non una parte epigramma laboret, ejus testimonio uti, quo Simonideam consuetudinem probemus.

Epigrammata No. 95 (Εἰ τὸ καλῶς θνήσκειν), No. 96 (Ἄσβεστον κλέος οἵδε), No. 97 (Εὐκλέας αἶα κέκευθε), quae in sola Anthologia comparent, ante Schneidewini editionem, qui pg. 152 a Simonide ea scripta negat, nemo suspectaverat, novissimorum editorum defendit nullus; Bergkio in ed. III a Simonide omnino abjudicanda videntur. Nobis quamquam minime est in animo eorum patrocinium suscipere, tamen est confitendum, infirma esse argumenta, quae nituntur numero monumentorum Thermopylensium, a Strabone tradito. Bergkius in eo offendit, quod in epp. 95 et 96 nullum sit indicium, quorsum spectent; dicendum fuisse, in cujus honorem sint condita. Parum certa res est. No. 97 autem idem etiam confidentius Simonidi abjudicat. Nam qui scripserit, finxisse Leonidae tumulo epigramma additum esse (v. 2, τῇδ' ἔθανον); sed inde jam manifestum demonstrativi generis poematium esse, quod per errorem Simonidi sit tributum; nam in Spar-

tiatarum tumulo fuisse ep. 92 (Ὦ ξεῖν', ἀγγέλλειν). — Sed vel nunc quispiam dixerit, demonstrativi generis epigramma esse, tamen idem fortasse Simonideum. Nam etsi universa Simonidis epigrammata recte dicuntur verae inscriptiones, non fictae fuisse, tamen constat non ad unum omnia fuisse ejus generis, velut minime illud in Timocreontem Rhodium elogium No. 169, atque potuit Simonides, ut fecit in hac ludicra materia, sic etiam in seria ingenium ostentare. Attamen non esse poematium Simonidis, sic posse demonstrari puto, si valet in hac quidem re Pausaniae auctoritas. Pausanias postquam III, 8 dixit de Cynisca, Archidami regis filia, quae Olympia vicerat, addiditque minimi omnium mortalium Spartiatas poesim poeticamque laudem facere, sic pergit: ὅτι γὰρ μὴ τῇ Κυνίσκᾳ τὸ ἐπίγραμμα ἐποίησεν ὅστις δὴ καὶ πρότερον Παυσανίᾳ τὸ ἐπὶ τῷ τρίποδι Σιμωνίδης ἀνατεθέντι εἰς Δελφούς, ἄλλο γε παρὰ ἀνδρὸς ποιητοῦ Λακεδαιμονίων βασιλεῦσιν οὐδέν ἐστιν ἐς μνήμην. Quod testimonium, nisi fallor, veritatis similitudinem prae se fert. Eam enim rem cum Pausanias illo loco attingere plane non cogeretur, ex eo ipso, quod ultro attigit, intellegi potest, eum certe memoriae suae non esse diffisum. Atque utut de ejus ingenio judicatur, cur non cognitam habuerit rem non ita magnae doctrinae! Nullam igitur video justam causam esse, cur hoc testimonio spreto Simonidem scripsisse illud epigramma credamus *Anthologiae*. At docet Jacobs, non pugnare Pausaniae locum cum Anthologiae lemmate; non enim in Leonidam regem scriptos esse versus, sed in eos quos secum ille habuerit. Non persuadet nobis Jacobs, quoniam quamvis trecenti illi epigrammate celebrentur, profecto legentium nemo opinabitur, Leonidae non tribui potiorem laudis partem, cum praesertim ipsum poeta nominet appelletque vocativo casu et secunda persona (Λεωνίδα — σύ). Videtur quidem cum illo Pausaniae loco alter pugnare ejusdem auctoris lib. VI, I, 2, ubi mentionem facit epigram*matum* in Cyniscam scriptorum. Potest subesse lectionis error, ut aut illic ἐπιγράμματα (non ἐπίγραμμα), aut hic ἐπίγραμμα sit legendum. Hoc alterum Schubartum video conjecisse (in praefat. ed. Teubn.). Sed vel sine lectionum mutatione hoc altero loco illum priorem non dilui, id mihi videtur demonstrandum verbis παρὰ ἀνδρὸς ποιητοῦ, ut hoc dicat Pausanias, a poetis qui habeantur in aliquo numero, nullum exstare epigramma scriptum in quemquam Spartiatarum regem praeter Simonideum illud.

Alterum est epigramma quod a Schneidewino ad Leonidam regem refertur hoc (Bergk 110):

Θηρῶν μὲν κάρτιστος ἐγώ, θνατῶν δ' ὃν ἐγὼ νῦν
φρουρῶ, τῷδε τάφῳ λάϊνος ἐμβεβαώς,

traditum in Anthol. VII, 344 ibique adscriptum Simonidi. Quod quaeritur, num hoc distichon

ἀλλ' εἰ μὴ θυμόν γε Λέων ἐμὸν οὔνομά τ' εἶχεν,
οὐκ ἂν ἐγὼ τύμβῳ τῷδ' ἐπέθηκα πόδας

ex Anth. VII (post 350 proximum) sumtum recte a Jacobsio cum priore disticho ita conjunctum sit, ut efficeretur poematium unum, id quidem commemorasse satis habeo (Cf. edd.); sed quod Schneidewino manifestum est, ad Leonidam regem epigramma spectare, eamque Bergkius incertam judicat esse conjecturam, nos, eodem illo Pausaniae loco (III, 8) nixi, negamus ad Leonidam referri illud posse, si quidem putatur Simonidis esse. Sed etiam si non in Leonidam est conditum, quiddam inesse puto, quo offendamus. Nemo quidem unquam interpretum de v. θνατῶν videtur dubitavisse; neque tamen supervacaneam putaverim me interponere dubitationem hanc, num satis probatum sit aliis exemplis, vocem θνητός, quae saepissime immortalibus opponitur, de hominibus dictam opponi posse feris, quae et ipsae mortales sunt. Videtur eadem in causa esse v. βροτός, qua non solum deis ex adverso appositi homines significantur, sed etiam simpliciter memorati atque vel *feris* oppositi, veluti apud Aesch. Choeph. 587 et 601 (κνωδάλων τε καὶ βροτῶν) et apud Eurip. Frgm. Theseus (ταύρου . . . . καὶ βροτοῦ . . . . φύσει). Adde epigr. in Corp. inscr. I, No. 2168:

Ἦ ῥ' ἐτύμως τόδε σᾶμα λεόντε[σσιν πεφύλακται]
Οἱ μὲν γὰρ θηρῶν φέρτεροι, οἱ δὲ βρο[τῶν]

(ex emendatione Hermanni). Sed cum de voce θνατὸς cirrcumspicienti simile exemplum mihi occurrat nullum, neque unquam ea videatur usurpata esse, nisi ubi mortalis opponatur Deis vel ubi ad humanae naturae condicionem respiciatur, ejus rei haec videtur esse causa. Illa vox (βροτός) nativam significationem mortalitatis usque eo exuerat hominisque amplexa erat, ut nisi de homine omnino non diceretur; neque in solutam orationem ea transiit; v. θνητός contra retinuit mortalitatis significationem, quae cum legentium animis statim obversaretur ut notissima ex quotidiano sermone, propterea putaverim v. θνατὸν apud antiquos poetas non significasse hominem simpliciter dictum neque oppositam fuisse feris. A recentioribus tamen, aucupantibus dictionem quotidianae dissimilem, ita scriptum esse non mirer. Sed in promptu est conjectura inspicienti aliquod Antipatri Sidonii epigramma simillimum (Anth. VII, 426):

α) Εἰπέ, λέων, φθιμένοιο τίνος τάφον ἀμφιβέβηκας
βουφάγε; τίς τᾶς σᾶς ἄξιος ἦν ἀρετᾶς;
β) Υἱὸς Θευδώροιο Τελευτίας, ὃς μέγα πάντων
φέρτερος ἦν, θηρῶν ὅσσον ἐγὼ κέκριμαι.
οὐχὶ μάταν ἕστακα sqq.

Hujus similitudine ductus in illo quoque (ep. 110) non θνατῶν, sed πάντων scribendum putaverim.

In eis epigrammatis, quae aliqua ex parte controversa sunt, haec quoque inveniuntur: 114 (Φῆ ποτε Πρωτόμαχος sqq.), 115 (Αἰαῖ νοῦσε βαρεῖα sqq.), 116 (Ὕστατα δὴ τάδ' ἔειπε sqq.). De auctore 116ti in Anthol. ipsa dubitatur (lemma: Σιμωνίδου, οἱ δὲ Σιμμίου; apud Planud. Σαμίου). Quae ubi primum legi, non redolere mihi videbantur Simonidis aetatem, sed potius Alexandrinorum poetarum; inspectis deinde editorum adnotationibus haec dubitatio augebatur. Nam praeterquam quod ea, ut multa subditicia et suspecta epp., in sola Anthologia Simonidi adscribuntur, animadverti, paene nullum esse inter editores novissimos, quin ea vel Simonidis epigrammata vel omnino epigrammata esse neget. Alii enim elegiarum particulas eas interpretantur (Franke et Schneidewin, quod probatur O. Müllero Littr. gr. l. l.), alii recentiorum auctorum epigrammata. Sed utut est, sat graves vel istas habes causas, quare non respicias ea poematia, ubi e *genuinis* vim atque naturam Simonideorum epigrammatum explorare velis. De toto eo numero infra disputandi occasio non deerit.

Quamquam supra dictum est illud parum assecutos esse interpretes, ut epigrammata quaedam utrum Simonidis essent necne ex eorum sono vel stilo probarent, et quamquam, ubicunque aliae eaeque firmiores praebebantur judicii ansae, noluimus fumum quaestioni addere pro luce, tamen illud judicii subsidium non per se censemus repudiandum esse. Certe videtur operae pretium investigare, num omnino non possit superari ea difficultas, qua propter poematiorum brevitatem in talibus judiciis afficimur. Apparet autem, eam quaestionem pendere ex universa quae de Simonideis epigrammatis concepta sit sententia atque ex eo quod totius generis putetur maxime proprium esse. Opinari igitur licebit, eas quae de singulis epigrammatis exstent sententias discrepantes natas esse quadam judiciorum discrepantia, quae sit de universorum Simonidis epigrammatum vi ac notione. At quamvis ea judicia multa conquisiverim, omnia video fere consentire; quae etsi laude Simonideorum epigrammatum plena sunt, tamen ad evincendam rem nobis propositam non satis nos adjuvant, cum aut latius pateant, aut, ubi ad singulas observationes descenderunt, in aliquam partem eorum, non in omnia conveniant. Ei qui breviter ac summatim de hac re agunt, ad Schneidewinum nos revocant, qui diserte de universis Simonidis epigrammatis hoc facit judicium (pg. 133 et 134 ed. fragm.): „in hac .... copia licet summa sit carminum varietas, tamen unum quoddam admirandum in omnibus, delectus verborum et orationis non fucata simplicitas et naturalis quaedam elegantia atque pulcritudo." Cui judicio num sit assentiendum videbimus, ipsi copiam istam et varietatem scrutati ratione et via. Omittenda scilicet erunt in hoc conspectu ea epigrammata quae

spuria esse jam dudum constat quaeque interpretum nemo defendit, deinde ea quae nos ipsi rationibus additis Simonidi abjudicavimus, tum, id quod per se patet, ea quorum imprimis causa hanc quaestionem instituimus, ea dico, quae propter dicendi genus quibusdam Simonide videntur indigna esse; tum omittentur ea quae non integra sunt tradita: apparet enim in hoc genere poematiorum brevissimorum ne unum quidem verbum posse desiderari, si unumquodque recte vis aestimare; quae denique paegnia vocantur, propterea omitto, quod, praeter unum illud 169 scriptum in Timocreontem Rhodium, non ad epigrammatum modum videntur instituta esse. Quodsi talia ab auctoribus inferiorum aetatum epigrammata vocantur (ut No. 168 ab Athenaeo), tunc temporis videlicet ea notio jam latius patebat.

His igitur omissis si reliquorum numerum inimus, L fere inveniuntur. Quorum genera constituturi primo obtutu ea facile comprehendimus, quae monumentis publicis inscripta erant ad consecrandam memoriam Graecorum, qui Persarum bello ceciderant. Nam praeter argumenti similitudinem prope omnibus (exceptis No. 107 et 140, de quibus infra agemus) eadem est species, quippe quae binis contineantur versibus. Accedit ad eam externam similitudinem haec gravior, quod in summa brevitate tamen sunt valida. Sed si cujusque poematii proprietatem quaerimus, fieri non potest, quin etiam intra illos angustos fines in oculos incurrat dissimilitudo insignis, neque assentior, ut hoc jam praecipiam, O. Müllero dicenti l. l., in omnibus epigrammatis ad Persarum bellum spectantibus aliquam rem peculiarem imprimis praedicari, qua demonstretur, singularis cujusdam momenti illud bellum fuisse; non assentior, inquam, quoniam ea sententia non convenit cum notissimo Simonideorum epigrammatum, No. 92 (Ὦ ξεῖν', ἀγγέλλειν). Quo magis appareat, quid interesse censeam inter hoc epigramma et ea quae ejusdem ordinis feruntur, ex adverso appono aliud ex eis, quae eodem loco atque illud apud Herodotum (VII, 228) scripta habemus, No. 91 (Μυριάσιν ποτὲ τῇδε). Cum trecentis milibus hostium pugnavisse Peloponnesiorum quattuor milia narratur, neque ad hoc, quod exstrinsecus offerebatur, quidquam poeta addit quod in ipso sit positum quodque ex suo ingenio repetat. Neque verba poeticis coloribus tincta sunt. Unum est quod in verbis eligendis et collocandis quaesitae operae consilioque tribuatur: quo magis efferatur numerorum discrimen singulare, quo omnis continetur vis epigrammatis, voces substant: (μυριάσι, χιλιάδες) adhibitae sunt numerique in extremis poematii locis positi. Quem verborum habitum oratorium potius quam poeticum dixerim. Hac in re ep. 91 plane distat a 92 (Ὦ ξεῖν', ἀγγέλλειν), quod quamquam totidem fere verba atque illud continet, tamen in eo ad rem quam celebrat poeta multa ex suo ingenio depromta addit animisque legentium copiam facit concipiendarum imaginum. Quomodo putemus Simonidem eo epigrammate animos affici voluisse, paucis exponemus, non infitiantes tamen, ad ea addi posse plura ac fortasse meliora. Primum igitur ne id quidem

est praetereundum, quod ipsi trecenti hospitem alloquntur; fortissimi hi ac paene divini viri res gestas suas singulares testantur ipsi, quo magis memineris, te in ipso pugnae loco esse. Petunt ab hospitibus, ut ad Spartanos referant se patriae legibus obsecutos mortem eo loco occubuisse. Pauca quidem ea verba, at abundant sententiis. Transferimur in illud tempus proelio modo facto proximum. Viatori dant negotium trecenti; ipsi enim omnes oppressi hostium multitudine caesi jacent ne uno quidem superstite, qui nuntium Spartam afferat. Non ignoraverant quidem casum futurum, sed neque ut subterfugerent a se potuerant impetrare, neque quo loco res suae essent, cum civibus suis communicare nuntio misso; nullus enim ex omnibus in eo discrimine voluerat absens desiderari; illi autem tum alio loco ipsi quoque hostem sustinentes sciscitari non potuerant, quaenam trecentorum esset condicio. Neque tamen laudes horum jacent tenebris obrutae; nam hospites et viatores Spartam eas afferunt. Fortasse hoc quoque fuerit poetici consilii et inventionis, quod non toto terrae orbe vel certe tota Graecia laudem suam trecenti jubent divulgari ab hospitibus, sed in patriam tantum Spartam perferri, quod dignum sit civibus Spartanis. — Tam copiose atque pulcre Simonides dixit duobus versiculis, nullo adhibito verborum splendore, nullo poetico fuco. Inter omnia Simonidea adeo hoc epigramma excellit, ut ei nequeam apponere ne unum quidem, quod plane sit simile; ad ep. 91 autem similitudinem, quod oratorium potius diximus, quam poeticum, composita sunt ep. 100 (Παῖδες Ἀθηναίων), 131 (Ἦ μέγ' Ἀθηναίοισι), 138 (Ἑλλάνων ἀρχαγός), ubi in summa brevitate cum rerum narratione laudes conjunguntur, efferendo cujusque rei prospero eventu, velut in ep. 100: ἤρκεσαν ἀργαλέην πατρίδι δουλοσύνην.

Alium deinde ordinem epigrammatum publicorum constituo ex 107 (Ἑλλάδι καὶ Μεγαρεῦσιν), 132 (Ἔθνεα Βοιωτῶν), 140 (Τόνδε ποθ' Ἕλληνες), 141 (Φημὶ Γέλων' Ἱέρωνα), quae omnia complectuntur plus singula disticha; hac una re novissimi hujus, quem demonstravimus, ordinis ea dissimilia esse, ceterum fere similia, probare licebit ex ep. 132. Hic quoque praeter rem ipsam, quae proposita erat memoriae tradenda, brevem commemorationem proventus habemus in vv. ἔσβεσαν ὕβριν, quod additamentum ejusmodi est, ut non ex solo rerum statu (qualia additamenta in superioribus epigrammatis erant, velut in ep. 138, ἐπεὶ στρατὸν ὤλεσα Μήδων), sed etiam ex poetae animo sit petitum propter rei eventum ad gaudium propenso; oratio autem in his poematiis omnibus est aliquanto ornatior quam in illis, maxime in ep. 107, minus in ep. 141.

De his quae hactenus tractavimus epigrammatis recte dici poterit id, quod omnibus Schneidewin vindicavit (cf. supra pg. 34); sed reliqua epigrammata publica, etsi versantur in argumento simillimo, orationis tamen genere a prioribus illis mirum quantum distant, neque censuerim nihil in eis esse inane aut redundans. Atque sunt reliqua haec: ep. 89 (Δίφρυος ἐδμήθημεν), 103 (Τῶνδε δι' ἀνθρώπων),

104 (Εὐθυμάχων ἀνδρῶν). Quid autem inter haec et illa intersit, intellegitur ex ep. 89 expositione. Non jam naturalis, sed fucatus est dictionis nitor; quamquam duobus distichis hoc epigramma est inclusum, ut complura vidimus superiorum, tamen cum his si confero, languescit jam quadam verbositate; nam quod laudis addit poeta ad rem memoriae prodendam (ἐρατὴν γὰρ ἀπωλέσαμεν νεότητα τρηχεῖαν πολέμου sqq.), id omni caret proprietate atque epicorum potius poetarum redolet locos decantatos; denique tam laxe alterum distichon priori adnexum est verbis οὐκ ἀδίκως, ut oratio minus libere fluat. Quin etiam si post primum distichon concluderetur epigramma, eorum, quae optima habentur Simonidis, multo esset similius. Quae modo in ep. 89 notavi, ea in ep. 104 nescio an non minus recte conveniant. Orationis flumen eo impeditur, quod vv. ἵνα σφίσι μή sqq. non ex eis sunt apta, quae proxime antecedunt, sed e remota voce μνησώμεθα; tam quaesita deinde est novissimorum verborum (ἵνα σφίσι . . . . ἐλευθερίαν) elegantia, ut ea adhuc vexet interpretes.

Eorum epigrammatum quae privatorum hominum memoriae vel laudis causa a Simonide condita feruntur, primum eadem fere atque publicorum habemus genera. Ea tamen, quae concisa esse vidimus eademque nervosa, in privatis vix reperias; inter haec enim etsi brevia sunt, nervi tamen in eis desiderantur. Velut in epigr. 109 (Τούσδ' ἀπὸ Τυῤῥηνῶν) adhibita anaphora (ἕν, μία, εἷς) proditur studium poetae aliquid gravitatis poematio addendi, quo magis legentium animi pellantur singulari illo casu. At is verborum potius ornatus est paene inanis delectationisque aucupium. Nisi enim deciperis sono, quid mirum est, quod in uno mari unaque navi naufragium illi fecerant conditi eodem sepulcro? nisi forte usu venire credimus, ut ei, qui uno tegantur tumulo, diversis in maribus diversisque navibus peremti sint naufragio. Imo *hoc* si quando acciderit, multo magis dignum sit quod memoriae prodatur. In hunc ordinem brevissimorum epigrammatum, quae non tam sanguinem quam ossa imitantur publicorum (talium quale est ep. 100), haec refero: No. 118 (Σῆμα Θεόγνιδος), 121 (Τῶν αὐτοῦ τις ἕκαστος), 122 (Χαίρει τις), 126 (Σᾶμα τόδε), 127 (Κρὴς γενεάν), e quibus in ep. 127 id, quod poeta ab ipso inventum (οὐ κατὰ τοῦτ' ἐλθών κτλ.) addit ad rem versibus ornandam, joci minus opportuni vereor ne sit non dissimile; epigrammati 121 et 122 aliquid ponderis accedit eo, quod in utraque habemus sententiam generalem; ep. 122 vel salsas acerbasque facetias sapit; ex ep. 121 intellegi potest, quanti in his brevissimis poematiis momenti sit vel unum verbum; nam prout Bergkii et Hartungii conjecturas (ἦδ' ἐχάρη, ἦδεθ' ὅλη) aut Schneidewini emendationem (ἦδε ποθεῖ) sequimur, habemus aut παίγνιον lepidissimum, aut ἐκπικήδειον, quod optimi civis tumulum non dedeceat. Denique ep. 126, uno constans versiculo (Σᾶμα τόδε Σπίνθηρι πατὴρ ἐπέθηκε θανόντι), nisi quod numeris est adstrictum, caret omni et sententiae et verborum ornatu. Hujus simillima exstant inter ea, quae victoribus certami-

num gymnicorum et artificibus scripsisse Simonides dicitur; ex quo numero includitur uno versu No. 158 (Κρὴς Ἄλκων), singulis distichis No. 152 (Πατρὶς μὲν Κόρκυρα), 153 (Ἴσθμια καὶ Πυθοῖ), 154 (Εἰπὸν τίς, τίνος ἐσσί). Video haec quoque epigrammata suos laudatores habere, qui eorum artificio gaudeant. Sint sane artificiosa; putaverim tamen quemvis eruditorum Graecorum talia tornare potuisse, qualia sunt ep. 126 et 158 (Κρὴς Ἄλκων Διδύμου Φοίβῳ στέφος Ἴσθμι' ἑλὼν πύξ). Idem de ep. 165 dicendum est (Σῶσος καὶ Σωσώ), quod Böckhius (Corp. inscr. I, No. 1051) et Schneidewin Simonide indignum putant, Bergkius non indignum.

Ab eis epigrammatis brevissimis, quae praeter numeros nihil fere habent, quo recedant a communi more verborum, plane sunt diversa No. 112 (Μνήσομαι), 120 (Αἰδὼς καὶ Κλεόδαμον), 123 (Ἐνθάδε Πυθώνακτα), ipsa quoque in singulorum hominum laudem scripta. Atque in his epp. assurgit oratio et magnificentia pompaque insignis est; quod maxime cognoscitur ex ep. 112. Simillimi argumenti, atque hoc epigramma, aliud extat Simonideum No. 111, apud Thucyd. VI, 59 (Ἀνδρὸς ἀριστεύσαντος). In utroque poetae est propositum celebrare memoriam defunctae feminae e genere inter Graecos nobilissimo. At quam diversa sunt epigrammata! Sonans illic est exordium, quod quo majore vi efferatur, primam vocem sequitur distinctum intervallum; verbis etiam magis sonantibus et sublimibus dominatio Periandri memoratur, quem praedicat fuisse Xanthippes generis auctorem. Id autem, si accurate rem inspicis, unum est, quod laudis Xanthippae tribuit. Alterum contra epigramma (111) verae laudis multo plus in Archedicen congerens — nam praeter genus nobilissimum virtus Archedices celebratur, moderatio — verborum ornatum habet modicum. Possunt nescio quae causae conquiri, cur tam diversa sint haec duo epigrammata in simillima re versantia; equidem in notatione ejus dissimilitudinis acquiesco.

Plane idem orationis genus atque est epigrammatis 111, id dico, quod inter jejunum frigidumque et inter grandiloquum tumidumque medium interjectum est modicum, habemus in ep. 94 (Μνῆμα τόδε κλεινοῖο Μεγιστία), omnium, quae Simonidis feruntur, optimo testimonio confirmatum. Nam non solum exstat apud Herodotum (VII, 228), sed etiam Simonidis nomen est additum ab eodem auctore. Hoc igitur praeter cetera erit dignum, quod diligentius tractemus. Mortem Megistiae poeta narrat simpliciter, verbis a quotidiano sermone vix recedentibus; laudem addit non generali aliqua sententia distinctam nec positam in sua ipsius opinione, sed oblatam rerum ipsarum condicione hanc: „quamquam non ignorabat fata impendentia, tamen noluit duces deserere". In solis verbis Κῆρας ἐπερχομένας dictio paululum vergit ad poeticam elegantiam; praeter id nihil poeticae operae inest nisi numeri et aliquae verborum formae. — Ad hujus generis similitudinem accedit ep. 125 (Ἀργεῖος Δάνδης).

Eorum quae aliquo ornatu poetico splendent, praeter tumida illa, exstat altera series epigrammatum, quaesitae mollitiei, compositorum ad elegiarum modum. Huc sunt referenda epp. 117 ('Ηερίη Γεράνεια), 119 (Σῶμα μὲν ἀλλοδαπή) et 124 (Ἄνθρωπ', οὐ Κροίσου λεύσσεις τάφον, ἀλλὰ γὰρ ἀνδρὸς χερνήτεω sqq). In ep. 124 mira mihi videtur Croesi commemoratio. Ut enim jam ante Herodotum divitiae Croesi in proverbium abierint, eum tamen Croesum animis hominum obversatum putabimus, cujus regnum floreret, non eum, qui regno pulsus clementia victorum vitam sustentaret. Hunc Croesi exitum ita evanuisse e Simonidis memoria illi prope aequalis, ut vel sepulcri divitiis et splendore ab illo putet omnes mortales superari, vix crediderim, licet sit verum id quod Stein ad illustrandum Herodoti locum VII, 27 addit, Cyri temporibus nondum morem fuisse, ut victi reges re familiari privarentur.

Alia sunt epigrammata tria, 130 (Ἦ σεῦ καὶ φθιμένας), 143 (Τόξα τάδε πτολέμοιο), 144 (Οὕτω τοι, μελία), in quibus, sicut in illis querimoniis, cum animo commotiore poeta persequitur res propositas; neque in eis rebus solis versatur oratio, sed magis in eo, quod cogitatione fingas illas adspiciens, tumulum dico canis venaticae (ep. 130), arma bellico usu detrita et in fano suspensa (ep. 143 et 144). Multa sunt ejus generis poematia in Anthologia, ep. 130 autem, quamvis vile sit argumentum, inter cetera mihi videtur flamine poetico praestare.

In unum denique fasciculum ea colligamus epigrammata, quae Simonides vel in donariis eorum, qui vicerant in certaminibus gymnicis aliisque privatis, vel in artificum signis tabulisque inscribenda dicitur condidisse. Haec diversissima sunt cum aliis rebus, tum magnitudine; habes enim unum, quod contractum sit in unum versiculum (No. 158), duo quae VI disticha expleant (148, 155). De contractis illis siccisque supra diximus (pg. 37 et 38); inter longiora nitent complura dictionis poeticae elegantia, in sententiis non ita multum senseris poetici ingenii.

Haec fere habui quae de orationis genere habituque dicerem Simonideorum epigrammatum. Si jam quaeritur, quid inde efficiatur ad singula quaeque, in controversis numerata, vel adscribenda Simonidi vel abjudicanda, illud alterum quidem facilius expediri poterit. Nam si quod epigramma, traditum sine auctoris nomine, conjectura ceterum verisimili vindicatum erit Simonidi, non erit repugnandum, si plura ejusdem generis apponi poterunt, ex eis quae non sunt suspecta. Ut exemplo utar, non est, quod ep. 90 ('Ελλήνων προμαχοῦντες) Simonidis esse negemus. Quod alterum quaeritur, quaenam epigrammata immerito Simonidi tribui e forma et e dicendi genere cognoscatur, id non aeque facile video procedere ne nunc quidem, quoniam eorum, quae genuina videntur esse, tanta est dicendi varietas atque dissimilitudo. Sed ut omittam quaerere, quae epigrammatum species, in aliis Anthologiae partibus frequentes, non compareant in illo numero, nunc altius jacto judicii fundamento examinabo hoc, quo jure et quo successu de aliquot epigrammatis propter illam causam sit dubitatum.

Ac primum quidem epp. 95 (Εἰ τὸ καλῶς θνήσκειν) et 96 (Ἄσβεστον κλέος οἵδε) a quibusdam respuuntur cum aliis de causis, quas tamen non satis firmas esse supra vidimus (pg. 31), tum quia sint „ornatiora sententiis et Ceae artis expertia" (Schneidew. pg. 152). Non est h. l. neglegendum, quod homines docti observarunt, ea ipsa quam in epigrammatis animadvertamus dissimilitudine elegans et subtile Simonidis judicium cognosci; nam publica epigrammata incompta esse verbisque apta et pressa, ea quae aliquem e vulgari coetu hominem in lucem protrahant, florum ornatu similiora esse elegiarum (Bernhardy, Gr. litt. II, pg. 654). At vidimus, publicis non omnibus istum habitum esse, velut ep. 89, 103, 104 publica sunt eademque minime incompta et sicca. Ergo dum *haec* propter dicendi genus nemo Simonidis esse negaverit, neque illa duo ei abjudicabimus. Atque idem dicendum erit de epp. 105 et 106 (de quibus cf. quae supra pg. 30 disputavimus) et de ep. 108 (Χαίρετ' ἀριστῆες). Hoc propter res ipsas non fuisse Simonidi abjudicandum, exposuit Bergkius; quod autem Schneidewin negat formam epigrammatis Simonideam esse, ostendenda erunt eadem illa epp. 89, 103, 104 non abjudicata Simonidi. Atqui quovis verborum ornatu non cedunt ei (108), quod in dubium vocatur. Nam quod hic scriptum est ὤλεσαθ' ἥβην, idem in ep. 89 est in verbis ἀπωλέσαμεν νεότητα; epitheti, quod „ornans" vocatur, καλλιχόρου simillimum habemus in ep. 103 (εὐρυχόρου); denique si quid aliud in hoc epigrammate inest florum, id vel exsuperatur colore verborum τρηχεῖαν πολέμου δεξάμενοι νεφέλην (in ep. 89), τῶνδε δι' ἀνθρώπων ἀρετὰν οὐχ ἵκετο καπνὸς αἰθέρα δαιομένης εὐρυχόρου Τεγέας (in ep. 103), ἵνα σφίσι μὴ καθέληται Ἑλλὰς ἀποφθιμένου κρατὸς ἐλευθερίαν (in ep. 104; Planud. ἀποφθιμένοις χάρτος ἐλευθερίας), qui anfractus et verborum et sententiae vel unicus est in omnibus quae Simonidis feruntur epigrammatis.

Ut jam quod compluribus exemplis demonstravi, brevi comprehendam: aut eis, qui quaedam epigrammata propter orationis habitum et formam Simonidi abjudicant, non assentiemur, quoniam inter ea, quae putantur genuina, simillima inveniuntur, aut etiam haec propter eam ipsam similitudinem subditicia judicabimus. Quae cum ita sint, illa argumenta ex elegantia epigrammatum petita infirmiora sunt, quam quae ad criticam artem adhibeantur. Cohibenda igitur erit assensio, ubi quidem nolumus judicium decedere certo fundamento; sed si conjectura licet assequi, utra duarum sententiarum sit verisimilior, conjecerim splendida illa epigrammata ac tumida cuncta Simonidi esse abjudicanda; cuncta enim vel in Anthologia tradita sunt, cujus paene nulla in hac re est fides, vel apud auctores inferioris aetatis, (Pseudo-) Plutarchum dico et scholiastam Aristidis; ea contra, quae apud Herodotum Thucydidemque exstant, et vacant floribus poeticis et aut pondus habent in summa brevitate aut modici sunt generis et temperati. Qua ratione illa epigrammata sine cujusquam fraude acervatim in Simonideorum numerum se insinuare potuerint, id ex acerrima conjectura Bergkii discitur (in adnot. ep. 116), quam vel propterea affero,

quod inde quodammodo confirmantur ea, quae de ep. 128 supra (pg. 15 sqq.) disputavimus. Ep. 116 igitur (Ὕστατα δὴ τάδ'ἔειπε), cui in Anthol. VII, 647 lemma est additum Σιμωνίδου, οἱ δὲ Σιμμίου, cum ab aliis hominibus doctis tum a Meinekio Simonidi abjudicatur. Eadem condicio Bergkio jure videtur epigrammatis 114 esse (Anth. VII, 513, Φῆ τότε Πρωτόμαχος), ut etiam hoc in dubitationem vocari possit. Atque errorem Bergkius conicit inde natum esse, quod fortasse exciderit in Anth. Pal. post VII, 512 (Simonid. 103) alicujus recentioris poetae epigramma, ut jam huic ignoto poetae tribuenda sint epp. Anthol. Pal. VII, 513—516 (Simonid. 114, 120, 115, 128). — Hoc loco eos, qui ad manum non habeant editionem Anthol. *Palatinae*, monemus, ubi ejusdem auctoris epigrammata in illa se excipiant, primo cuique nomen auctoris additum esse, reliquis verba „τοῦ αὐτοῦ". — Non mediocriter Bergkii conjecturae haec res favet, quod per illam aut ejusmodi poematia tolluntur, quae jam antea vix quisquam in epigrammatis Simonideis habuerat (epp. 114 dico et 115), aut ea, quae certe non vacaverant suspicione, quod maxime recidit in ep. 128 (Οἱ μὲν ἐμὲ κτείναντες) quod nos alia de causa atque Bergkius in dubium vocavimus (v. supra pg. 16). Error autem, quem in hac Anthologiae parte latentem Bergkius invenit, etiam altius repeti poterit; nam ea quoque poematia, quae epigrammati Anthol. VII, 513 proxime antecedunt, eademque Simonidi tributa, talia sunt, qualibus non aegre feras Simonidem exonerari. Jam igitur si conicimus, illud „Σιμωνίδου", quod epigrammati 507 Anth. lib. VII est praefixum et ad quod referuntur ea quae omnibus reliquis usque ad 516 addita sunt vv. „τοῦ αὐτοῦ", aliqua corruptela esse natum (velut e Σιμμίου), vel nescio quem recentiorem Simonidem significare, cuncta ea Ceo Simonidi abjudicabuntur. Quam autem illud sit verisimile, in singulis videamus. Ep. 509 (Παυσανίην ἰητρόν) jam dudum ut subditicium e Simonideis ejectum est; ep. 507 (Bergkii 124) est illud Ἄνθρωπ', οὐ Κροίσου sqq. (v. supra pg. 39); No. 511 (B. 113) apparet non esse epigramma, certe non integrum; ep. 512 (B. 103) denique quas suspiciones hominum doctorum in se excitaverit, a Bergkio est expositum (in adnot. 103). Ex toto hoc numero a duobus abest gravior suspicio, ab ep. 509 (B. 118), poematio satis exili, et a 510 (B. 119). Sed huic alteri, praeterquam quod in hac serie invenitur, aliquid suspicionis videtur propterea accedere, quod etiam reliqua duo, quae in eodem genere epp. mollium lugubriumque posuimus, aliam ob causam suspecta sunt. (Cf. pg. 39 de ep. 24 et Bergkii adnot. ep. 117).

Corrigenda.

pg. 5 v. 16 pro amplexi leg. amplexa;

pg. 8 v. 19 sqq. non conveniunt in rem probandam hi loci: Soph. O. C. 450, 1032, O. R. omnes; Aesch. Pers. 619; substitui possunt hi: Soph. Ph. 1, Ant. 195; Aesch. Ag. 35, 545, 1405.

Schulnachrichten.

I. Uebersicht der von Ostern 1868 bis Ostern 1869 behandelten Unterrichtsgegenstände.

1. Sexta, in zwei Coetus.

Ordinarius von A Gymnasiallehrer **Buss**, von Michaelis ab **Dr. Roediger**, von B **Dr. Fischer**.

Religion 3 St. Biblische Geschichte des Alten Testaments bis zum Tode Moses (Fürbringer, biblische Erzählungen für Mittelklassen). 1. Hauptstück. Sprüche. 4 Kirchenlieder. A und B **Gerlach**.

Deutsch 2 St. Lesebuch von Dielitz. Lesen und Wiedererzählen. Erlernen von Gedichten. Orthographische Uebungen, alle 14 Tage eine. Lehre vom einfachen Satze. A Sommer **Buss**, Winter **Roediger**, B **Fischer**.

Latein 10 St. Die Declinationen, das Hilfsverbum esse, die vier regelmässigen Conjugationen, Declination der Adjectiva. Mündliche und schriftliche Uebersetzungen aus Gedike. Wöchentliche Extemporalien. A Sommer **Buss**, Winter **Roediger**, B **Fischer**.

Geographie 2 St. Asien, Afrika, Amerika und Australien in Uebersicht. A **Gerlach**, B **Fischer**.

Rechnen 4 St. Die vier Species mit unbenannten und benannten Zahlen nach Foelsing I. Dreimal wöchentlich eine schriftliche Arbeit. A und B **Scholz**.

Naturkunde 2 St. Zoologie. A und B **Scholz**.

Zeichnen 2 St. Gerade Linien nach verschiedenen Richtungen; Theilungen derselben. Winkel und Theilungen derselben. Rechtwinklige Flächen; Kreislinien, Ellipsen, Kreisabschnitte in Combinationen mit geraden Linien. A und B **Jonas**.

Schreiben 3 St. Einübung der deutschen und lateinischen Schrift. Besprechung der einzelnen Buchstaben nach ihrem Charakter und den Taktthеilen in genetischer Reihenfolge. Wörter- und Satzschreiben nach dem Takte. Einübung der Zahlzeichen. Vom Lehrer selbstgeschriebene Vorschriften wurden benutzt. A und B **Heilmann**.

Singen 2 St. Elementar-Regeln des Gesanges, Uebungen von Tonleitern und kleinen Liedern ohne Noten. Erklärung der Noten und Uebungen von Chorälen. Im Wintersemester Erlernung der Tonleitern und Accorde. Einstimmige Lieder und Gesänge von Grell, Succo u. s. w. A und B **Succo**.

---

2. Quinta, in zwei Coetus.

Ordinarius von A Gymnasiallehrer **Wagner**, von B **Dr. Schmidt**.

Religion 3 St. Biblische Geschichte A. T. von Josua bis Schluss. Biblische Geschichte N. T. Fürbringers Biblische Geschichten für Mittelklassen. Erklärung des zweiten Hauptstückes. Sprüche. 8 Kirchenlieder. A **Gerlach**, B **Scholkmann**.

Deutsch 3 St. (einschliesslich der griechischen Sagenkunde). Lesebuch von Dielitz. Erlernung von Gedichten. Unterscheidung von Haupt- und Nebensätzen mit Interpunctionsregeln. Orthographische Uebungen alle 2 Wochen. — Wöchentlich 1 Stunde für die wichtigsten griechischen Sagen. A **Wagner**, B **Schmidt**.

Latein 9 St. Deponentia, Pronomina, Comparation, Zahlwörter, Praepositionen, Adverbia, verba anomala und das vollständige Verzeichniss der Verba mit abweichendem Perf. und Sup. Lectüre: Gedike I. Abschn. VII—XVII. Wöchentliche Extemporalia. A **Wagner**, B **Schmidt**.

Französisch 3 St. Aussprache, Wortstellung, Erlernung von avoir und être und der einfachen Tempora der ersten Conjugation (Ploetz, Elementargrammatik, Lection 1—60). Extemporalien und Exercitien. A **Gerlach**, B **Roediger**.

Geographie 2 St. Wiederholung des Pensums von Sexta und Grundzüge der Geographie von Europa, nach Seydlitz. A **Gerlach**, B **Roediger**.

Rechnen 3 St. Bruchrechnung nach Foelsing I. Dreimal wöchentlich eine schriftliche Arbeit. A **Scholz**, B **Stahl**.

Naturkunde 2 St. Zoologie. A **Scholz**, B **Stahl**.

Zeichnen 2 St. Perspectivisches Messen und Nachzeichnen von geradlinig begrenzten rechtwinkligen Holzkörpern, vom Würfel angefangen in immer schwierigeren Zusammenstellungen; Lehre vom Horizonte, Verschwindungspunkte u. s. w. Später Schattiren jener Figuren. A und B **Jonas**.

Schreiben 3 St. Einübung der deutschen und lateinischen Schrift in methodischer Folge. Bildung der Formen derselben nach den griechischen und römischen Schriftzeichen. — Uebung für die leichte Darstellung; Dictatschreiben nach dem Takte; Einübung der arabischen und römischen Zahlzeichen und der griechischen Buchstaben. — Benutzt wurden vom Lehrer selbst geschriebene Vorschriften. A und B **Heilmann**.

Singen 2 St. Fortsetzung der Uebungen von Chorälen und Liedern in getrennten Stimmklassen. Erklärung der Tactverhältnisse und Intervalle; elementare Uebungen im ein- und zweistimmigen Gesang. Zuletzt zweistimmige Choräle und Lieder. Im Sommer A **Laber**, B **Succo**, im Winter A mit B comb. **Succo**.

---

3. Quarta, in zwei Coetus.

Ordinarius von A **Dr. Blass**, von Michaelis ab Gymnasiallehrer **Buss**, von B **Dr. Philippi**.

Religion 2 St. Das Evangelium Matthäi und Lucae. Besprechung des 3. Hauptstücks, Wiederholung des 1. und 2., Memoriren des 4. 8 Kirchenlieder. A **Hart**, von Neujahr ab **Scholkmann**, B **Philippi**.

Deutsch 2 St. Lehre vom zusammengesetzten Satze; Declamationsübungen; Lectüre; Aufsätze. A **Blass**, seit Michaelis **Buss**, B **Philippi**.

Latein 10 St. Repetition sämmtlicher unregelmässiger Verba; Casuslehre, Orts-, Zeit-, Raumbestimmungen, nach Ellendt-Seyffert §§ 129—186, 190—201. Lectüre aus Gedike-Hofmann, Uebersetzungsstücke aus Süpfle; das Nothwendigste über den acc. c. inf. und die Participialconstruction; wöchentlich ein Extemporale. A **Blass**, seit Michaelis B[illegible], B **Philippi**.

Griechisch 6 St. Frankes Grammatik. Bellermanns Lesebu[illegible] [illegible]s Nomen mit Ausschluss der Contracta der dritten Declination, Verba pura [illegible] [illegible]cta. Häusliche Uebungen und wöchentlich ein Extemporale. A **Philippi**, B [illegible]

Französisch 2 St. Plötz, Elementar-Grammatik Lect. [illegible] [illegible]5. Einübung der regelmässigen Conjugationen, Pronoms personnels, Verbe réfléchi. A[illegible]e 3 Wochen ein Extemporale. A **Roediger**, von Neujahr ab **van der Fecht**, B **Roediger**.

Geschichte 2 St. Griechische und römische Geschichte. A **Gerlach**, B **Nake**.

Geographie 1 St. Asien, Australien, Amerika und Afrika in ausführlicherer Darstellung. A **Gerlach**, B **Nake**.

Rechnen 3 St. Rechnen nach Foelsing II. Decimalbrüche. A und B **Scholz**.

Zeichnen 2 St. Weitere Uebungen nach zusammengesetzteren Figuren aus Holzkörpern, auch krummflächigen, immer unter Berücksichtigung der perspectivischen Gesetze und Vergleichung mit Bauwerken u. s. w. Weitere Ausbildung im Schattiren. A und B **Jonas**.

Singen s. unten.

4. Unter-Tertia, in zwei Coetus.

Ordinarius von A Oberlehrer **Bernhardi**, von B **Dr. Hart**.

Religion 2 St. Heilige Geschichte Alten Testaments bis auf Samuel. Das 4. und 5. Hauptstück. 6 Kirchenlieder. A **Scholkmann**, B **Hart**, von Neujahr ab **Scholkmann**.

Deutsch 2 St. Repetition der Satzlehre. Erklärung leichter Schillerscher Gedichte. Declamationsübungen, Aufsätze. A und B **Scholkmann**.

Latein 10 St. Grammatik von Ellendt-Seyffert: Casuslehre und Tempus- und Moduslehre nach Ellendt-Seyffert § 234—241, § 247—264. Wöchentlich ein Extemporale, bisweilen ein Exercitium. Uebersetzungen aus Süpfle I. 5 St. Caesar de bello Gallico I in A, III bis V 40 in B. 3 St. A **Bernhardi**, B **Hart**. — Ovid, Met. ausgewählte Stücke aus den ersten Büchern. Zu jeder Stunde 5 Verse memorirt. Prosodie. 2 St. A **Ribbeck**, B **Roediger**.

Griechisch 6 St. Fortsetzung der Formenlehre bis zu den Verbis liquidis einschliesslich, auch die tempora secunda. Lectüre aus Bellermanns Lesebuch. Wöchentlich eine schriftliche Uebung. A **Junghahn**, B **Blass**, im Winter **Buss**, seit Neujahr **Hart**.

Französisch 2 St. Plötz Schulgrammatik, Lection 1—23. Lectüre aus Plötz Chrestomathie. Schriftliche Arbeiten dreiwöchentlich. A **Bernhardi**, B **Hart**.

Geschichte 2 St. Deutsche Geschichte bis 1500. A **Fischer**, von Weihnachten **van der Fecht**. B Sommer **Blass**, Winter **Fischer**.

Geographie 1 St. Im Sommer: Deutschland. Im Winter: Europa ausser Deutschland. A **Fischer**, von Weihnachten **van der Fecht**, B Sommer **Blass**, Winter **Fischer**.

Mathematik 3 St. Im Sommer: Lehre von den graden Linien und gradlinigen Winkeln, den Parallel-Linien und den Dreiecken. Kambly Planim. § 10—65. Im Winter: Anfangsgründe der Buchstabenrechnung. Kambly Arithm. § 8—22. A und B **Stahl**.

Naturkunde 2 St. Im Sommer: Botanik. Im Winter: Zoologie. A und B **Stahl**.

Zeichnen und Singen, s. unten.

5. Ober-Tertia, in zwei Coetus.

Ordinarius von A Oberlehrer **Dr. Nake**, von B **Dr. Junghahn**.

Religion 2 St. Heilige Geschichte des Alten Testaments von der Zeit Samuels an, mit besonderer Berücksichtigung der Psalmen und Propheten. Repetition des Katechismus und einiger Kirchenlieder, Hollenbergs Hilfsbuch. A **Scholkmann**, B **Wagner**.

Deutsch 2 St. Lectüre: Einige Gedichte, Schillers Wilhelm Tell und in A Wallensteins Lager, in B Jungfrau von Orleans. Flexionslehre mit besonderer Bezugnahme auf Um- und Ablaut. Aufsätze. A **Nake**, B **Buss**.

Latein 10 St. Repetition der Casuslehre, das wichtigste aus der Syntax der Tempora und Modi nach Ellendt-Seyffert. Wöchentlich ein Extemporale oder Exercitium. Münd-

liches Uebersetzen aus Süpfles Aufgaben, 1. Theil., 4 St. Caesar de bello Gall. VII, de bello civ. I (A), de bello Gall. IV (B), 4 St. A **Müller**, B **Junghahn**. — Ovid metam. ausgewählte Stücke aus den ersten 5 Büchern; geeignete Abschnitte wurden memorirt. Metrische Uebungen nach Seyfferts Palaestra Musarum, 2 St. A **Nake**, B. **Müller**.

Griechisch 6 St. Repetition der Verba auf eine liquida und der tempora secunda. Verba auf μι und die wichtigsten unregelmässigen Verba nach Frankes Grammatik. Auswahl aus Xenoph. Anab. I und III. Wöchentlich ein Extemporale oder Exercitium. A **Nake**, B **Junghahn**.

Französisch 2 St. Plötz Schulgrammatik. Lection 24—38. Lectüre aus Plötz Chrestomathie. Schriftliche Arbeiten dreiwöchentlich. A **Bernhardi**, B **Schmidt**.

Geschichte 2 St. Im Sommer: Deutsche Geschichte von der Reformation bis zum westphälischen Frieden. Im Winter: Brandenburg.-preuss. Geschichte. A **Bernhardi**, B **Fischer**.

Geographie 1 St. Im Sommer: Deutschland und Oestreich, im Winter: das übrige Europa. A **Bernhardi**, B **Fischer**.

Mathematik 3 St. Im Sommer: Lehre von den Vierecken und Parallelogrammen, dem Kreise und der Vergleichung des Flächeninhaltes gradliniger Figuren. Kambly Planim. § 70—121. Im Winter: Rechnen mit algebraischen Zahlen. Kambly Arithm. § 33—38. A. **Krech**, B **Stahl**.

Naturkunde 2 St. Im Sommer: Botanik, im Winter: Zoologie. A **Krech**, B **Stahl**.

Zeichnen und Singen, s. unten.

---

6. Unter-Secunda.

Ordinarius Oberlehrer **Dr. Müller**.

